Musarum Cantabrigiensium

THRENODIA

IN

OBITUM

Incomparabilis Herois ac Ducis
Illustrissimi

GEORGII

DUCIS ALBÆMARLÆ,

Regiarum Copiarum
ARCHISTRATEGI,

Regis, & Regnorum Magnæ Britanniæ
Felicissimi Restauratoris.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, celeberrimæ Academiæ
Typographi. 1670.

Musarum Cantabrigiensium

THRENODIA

IN

OBITUM

Incomparabilis Herois ac Ducis Illustrissimi

GEORGII

Ducis Albemarlæ,

Regiarum Copiarum

ARCHISTRATEGI,

Regis, & Regnorum Magnæ Britanniæ Felicissimi Restauratoris.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina Joann. Hayes, celeberrimæ Academiæ Typographi. 1670.

Ad Sereniſsimum Regem
CAROLUM II.

DA veniam, Cæſar, partem decerpere luctûs
Si *Grantana* audet conſcia Muſa tui:
Parce, precor, noſtro indulge &, Rex Magne, dolori;
Fas lacrymas lacrymis ſit ſociare Tuis.
Nempe Pater Patriæ voluit quem dicere Patrem,
Quidni hunc amiſſum Patria ploret Avum?
Præcipuè at mœrens Academia, ſciſſa capillos,
Patroni exequias poſtulat ire ſui.
Et meritò pompâ funebri, & in agmine primo
Lugentûm, *Mater* vendicat *Alma* locum:
Quæ nempe invicti Virtûte & munere GEORGI
Et cum Rege redux, & rediviva fuit.

Jacobus Duport,
Acad. Procan.

In Obitum Illuſtriſsimi Ducis GEORGII *Ducis* ALBÆMARLÆ
EPICEDIUM.

AT quæ Melpomene tantam deflere ruinam
Sufficit? aut dignis plectra ciere modis?
Impar tam grandi eſt Elegëia noſtra Sepulcro;
Et ſtupet, & neſcit publica damna loqui.

Regi-

Regibus hic labor est, & solo Principe dignus,
Exequias tanti concelebrare Ducis.
Vestra, ô Sceptrigeri, toto quot vivitis orbe,
Res agitur, (tangunt talia Fata Deos)
Nos, animæ viles, temeramus carmine manes;
Funera plebeius non capit ista dolor.
Polluere hanc lacrymis scelus est vulgaribus Urnam;
Compescat luctus turba profana suos.
Vos, Vos Regali lacrymas huc fundite venâ,
Vester enim Vindex occidit, atque Pugil.
Hic Reges docuit fine cæde domare rebelles,
Securos solii jussit & esse sui.
Cedite Romani Ductores, *cedite Graii:*
Unum pro cunctis fama loquatur iter.
Quid mihi *Alexandros* tu *Gracia*, *Persia Cyros*,
Quidve Duces memoras, Martia *Roma*, tuos?
Cæsaris innumeros hæc una tropæa triumphos
Exsuperant, *solus* quæ statuit *Monachus*;
Cùm *Trinobantiacum* cupiens invisere *Paulum*,
A *Scoto Andrea* nobile cepit iter;
Et longum emensus brumali sidere campum,
Omne *bonum* nobis *ex Aquilone* tulit:
Cùm Democratici liventia colla *Draconis*
GEORGIUS Arctoo rupit ab orbe redux.
Debuit at *Monachus* sic restaurare *Monarcham*,
Et [a] *Planta genitus* sic reparare *Rosas*.
Ergò agite, ô Reges, Epicedia scribite Sceptris:
Quid stylus hîc? humilis quidve Camœna potest?

[a] *Fama est Illustrissimum Ducem Regii Plantagenetarum stirpe oriundum.*

Aliud.

QUin salve, æternúmque vale, *ter Maxime* GEORGI:
Jam satis est; quid agis, Pieri? siste gradum.

Quicquam

Quicquam te his titulis ſuperaddere poſſe canendo,
Aut æquare modis Nomina tanta putas?
Quid fruſtra ſacros obtundis carmine Manes?
Sollicitáſque rudi murmure buſta Ducis?
Incaſſùm triſtes elegos, epicedia, leſſus,
Spargimus in cineres, Magne *Gradive*, Tuos.
Te memorans, non metra, tonitrua fundere debet,
Nec niſi Pyrrhichio currere Muſa pede.
Quid ſiticen lugubre melos? quid tibia cantus?
Funereóſve parat præfica Muſa modos?
Stridentes quid enim calami? quid carmina poſſunt?
Cum fidibus tremulæ aut plectra minuta lyræ?
Buccina rauca, tubæ clangentes, tympana, ſiſtra,
Hæc ſunt exequiis muſica digna Tuis.
Arma horrenda ſonent, diſploſáque fulmina belli,
Quaſſentur frameæ, teláque miſſa ruant.
Tum feriant oculos paſſim volitantia ſigna,
Et labara: hîc *Mars* eſt *Anglus*; *Apollo* tace.
Tu tamen, *Angligenis* fauſtum & venerabile Nomen,
Sancte, precor, GEORGI, Dux Macarita, fave:
Obturbet tantos ſi nænia noſtra triumphos,
Et ſtrepat hæc veſtras inter avena tubas.
Nos chorus Aonidum magnis virtutibus impar,
Et tamen in lacrymas turba profuſa ſumus.
Mittimus inferias tumulo, & libamus honores,
Fundimus & ſacro carmen inane rogo.
Sed quia nos tanto ferimus nil funere dignum,
Supplebunt reliquum sêcla futura decus.
Nam tua vel ſeri celebrabunt facta nepotes,
Hoc tibi Poſteritas Elogiúmque dabit;
Per Te, merſa diu, caput extulit *Anglia*, rurſus
Inſula præſidio facta *beata* Tuo:

Per

Per Te Rex iterum CAROLUS, verèque *Secundus*,
Prosperáque imperia & Sceptra *secunda* tulit.
Sic Tua venturi recinent miracula Vates;
Vix ut quis, quæ nos vidimus, acta putet.
Sic nostrum Heroa æternùm mirabitur orbis,
Et *Monachi* laudes fama loquetur anus,
Tótque Tibi in cippo Tituli, quot Nomina Regum;
Quótque Throni, tot erunt & Monumenta Tibi.
Ecce! parentatum est: Funebria, Maxime GEORGI,
Hæc tua sunt, hæc &, quà patet orbis, erunt.
At quicquid præsens, vel postera fecerit ætas,
Semper erunt meritis Justa minora tuis.

In Eundem,

Quòd maluit in CATHEDRA, *quàm in Lecto mori.*

NOluit in molli moriens requiescere lecto
Dux cubitum in castris sternere suetus humi.
Qui Regem erexit, Solióque locavit avito,
In Cathedra erectus debuit ille mori.
Dum sedet in *Cathedra* armorum Martisque *Professor*,
Temnere nos mortis tela cruenta *docet*.

Epitaphium Illustrissimi GEORGII *Ducis* ALBEMARLÆ.

REgum Patronus, Sospitator Principum,
Jamjam labantis Restitutor seculi,

Columna

THRENODIA.

Columna Relligionis, & Monarchiæ,
Eccleſiæ ſimul Reſque publicæ
Redintegrator, Imperi Britannici
Ruentis *Atlas*, Orbis hujus deſtina,
Marcellus idem & Angliæ *Fabius* ſuæ,
Columen bonorum, Patriæ ſpes & ſalus,
Oligarchiæ clades, flagellum Schiſmatis,
Terror Rebellium, gregíſque perfidi
Fanaticorum malleus, Vindex doli,
Sceleríſque maſtix, ficta quod pietas tegit,
Sufflamen ingens impetûs Alaſtorum,
Inſanienti doctus helleborum dare
Plebi, & tremendum pellere è Regno Chaos,
Monſtrorum & Hydræ Domitor Anglus *Hercules*,
Popularis Hydræ, multiformis Belluæ,
Capitum reſector uſque pullulantium,
Paucis, Viator, ut complectar omnia,
Currûs Boôtes *Caroli* GEORGIUS,
Solis propinqui Prodromus, [a] Sudum enitens *Job. 37. 22.*
Aquilone, Regni Phoſphorus, reddens diem,
Stator Britannus, Magnus *Albamarlius*,
Pietas, Fidéſque, Candor, & Prudentia,
Et Fortitudo, pariter hoc tumulo jacent.

Aliud.

HEctoris hic tumulus, *cum quo* Nova *Troja ſepulta*,
Albion hoc *albo marmore* tecta jacet.
Nempe *atram* & luteam *priùs*, *Albamarlius* Heros
Albionémque albam marmoreámque dedit.

Jaco. Duport, Coll. Magdal.
Præfect. Dec. *Petriburg.*
Acad. Procan.

In Obitum Excellentissimi, nec non Numeris omnibus Absolutissimi Ducis, Ducis ALBÆMARLENSIS

Carmen Funebre.

CUr, quia dignus eras, quem nos superesse precemur,
Fingimus immites in Tua fata Deos?
Nec quia dignus eras, qui Diis petereris ab ipsis,
Credimus indignos Te magis esse viros?
O nos indigni, qui Te deflemus ademptum!
Optamúsque Tibi non potuisse mori.
Felices Animæ quæ Te petiêre, dederunt
Hanc Tibi Dii mentem sic voluisse mori.
Nec mirum est, si Te totum non cernimus ævum;
Nullus in his potuit Juppiter esse locis.
Si non mortalis, certè Deus Ipse fuisses,
Non es mortalis, nunc eris ergo Deus.
Tu Divis permixtus abis; Pars optima Cœlos,
Æthereâsque domos occupat illa Tui,
Non morbis, nec morti obnoxia; Pessima pars est,
Quæ manet, in mœstos nunc abitura rogos.
Et licèt Hectoreâ requiescat Corpus in Urnâ:
Hîc meliore tamen parte superstes eris.
Cúmque satis nullus decoret Tua funera fletus,
(Nec nimis esse potest, quod satis esse nequit)
O Came! O Thamesis! factæque in utrisque Camœnæ
Lugete, & mœstos ingeminate sonos;
Et quantùm liceat, verbis depingite Mortis
Sævitiam; Non est, sic doluisse, nimis.

Nec

THRENODIA.

Nec satis est optâsse mori, Dux Inclyte, Tecum:
Pro Te, pro patriâ, sed voluisse mori.

Jaco. Fletewood, S. T. P.
& *Coll. Regalis* Præpos.

P. M.

Glorioſiſsimi DUCIS.

ILle est, *Hic Ille*, Fama quem tremit loqui,
Nè vera fando stigma Mendacis ferat.
Hic Ille, fortunæ haud magis suæ faber,
Quàm Principis, Reique nostræ publicæ,
Ecclesiæque, & Omnium quorum interest
Florere Pacem, Numen & summum colit:
Et Nestor idem Mentis ingenii penu,
Idémque Achilles gloriâ invictæ Manûs,
Virtutis unus Dux & *Albemarlia*.
Astræa nostris pulsa cùm terris caput
Conderet Olympo; cùm Nefas Britanniæ
Hiberniæque, more torrentis, plagas
Latè occuparet; solus hic tristi stetit
Heros arenâ, solus auxilium parat,
Ipse Imperator sibimet atque Exercitus;
Illum haud *Draconis tortuosi* fraudibus
Intexta rabies, prosperum aut fregit scelus:
Illi Hydra, Monstrum mukiceps, atrox, ferum
Ingratiis cessit; stupens se subditam

Idque ante pugnam. Sic serenato Angliæ
Cœlo, & paratâ CAROLO, ut decuit, viâ,
Patriæ reposuit pristinam Pacem, & Decus;
Omníque longè major invidiâ senex
Potuit salute publicâ Ipse perfrui.
Post tanta Gesta, nempe restabat Mori;
Fidémque facere, splendidum Authorem tamen
Hominem fuisse, nec oriundum cœlitús.

T. Beaumont, Coll. S. Petri
Præfectus.

ACcipias placidè, si deponantur ad urnam
Insoliti cineres, *Elisabetha*, tuam.
Non hæc effrænes intruduntbusta rebelles,
Præmia qui sceleris sancta sepulcra petunt.
Hunc augusta Ducem propter monumenta recondit,
Annumerátque atavis CAROLUS Ipse suis.
Debuit haud alio, vel summo judice regum,
Qui tria restituit regna, jacere loco.

Jo. Pearson, Coll. S.S. Trin. Mag.
& D. Margaritæ Professor.

In Religionem avitam, sub auspiciis optimi REGIS,
& ductu inclyti DUCIS, *Fanaticorum*
rabiem vindicatam.

ATô *Iambi* queis nimis pigri pedes,
Et gressus impar premere Magnatum vias,
Adeste

Adeste vindice manu; ut insequamini
Fanaticorum dissipatas Copias,
Domitúmque vulgus, & capita fera *Bellua*.
Nostros Triumphos non potestis assequi,
Celeréve cursu æquare Gloriæ rotas:
Sed spicula veneno, & *Lycambis* sanguine
Tingere potestis, & in triumphatam *Hæresin*
(Ut *Nemesis* à tergo) potestis mittere.
Aperuit *Angelus* infimam *Stygii* lacûs *Apocal. c. 9.*
Abyssum, & indè *Fumus* exiit niger,
Diem tenebris obruens; éque puteo
Ortæ *Locustæ* tectum operuerunt solum,
(*Locustæ* ab *Erebo*, malum *Erebo* ipso tetrius:)
Quæ *Scorpii* caudas aculeatas habent:
His vulnerant, maló sque malè mordent viros,
Et tabe dirâ, macrâ & invidiâ linunt.
Hinc fæda vitiorum lues, error vagus,
Terrísque nascitur omne *Schismatum* genus.
Tandem nec *aris* parcitur, nedum *focis*:
Mystas, & *Ædes* diripit *sacras* simul,
Thecásque, *Cœlitésque* sacrilega manus.
Opacat oculos hoc genus tabi, obruit
Mentémque nebulis, nè Bonum à Malo queat
Discretum habere: Hinc *prosperum & felix scelus*
Virtus vocatur, turbida & factio *Fides*,
Rapina *pia fraus*, invidia *zelus* cluit,
Proterviáque fit *conscientia* nota.
Sed hanc Malorum non diu *Lernam* tulit
Dux Herculanus, agítque ferro vindice,
*Orcó*que tradit filiam hanc *Orci* trucem.
Protinus in *ignes*, unde sunt satæ prius,
Eunt *Locustæ*, & suda linquunt omnia,

Omnia

Omnia serena, ubi *fumus* iste evanuit.
Suos *Iernus* (Hoc Duce) eliquat lacus;
Scotus tenebras discutit; nec amplius
Caliginosa noctis umbra territat
Anglos, suo furore ceritos diu,
Malóque ductos *Genio*. Apage larvas tuas,
Lemuréſque, *Cathare*: Nos eum sequimur *Ducem*,
Cui fucus odio est, vera sed probitas placet:
Disparet *Ignis fatuus*, exorto die.
Sic, sic, *Draconem* contudit GEORGIUS,
Illíque cum genimine contrivit caput.

At ô cruenta Fata! qui vicit *Styga*,
Stygiásque ranas nè coaxent obtudit,
A morte, filiâ *Stygis* victus jacet;
Non perditus tamen: Exit è busto altior,
Phœnicis instar, plaudit & cineres suos.
FELIX: TRIUMPHATOR: PATER PATRIÆ: PIUS:
ECCLESIÆ VINDEX: AVERRUNCUS DEUS:
STATOR ANGLIÆ: FANATICORUM MALLEUS:
Qui regna CAROLO reddidit, CAROLUM suis,
Ecclesiæ pacem, Reíque Publicæ,
Fidelitatem Militibus, animam *Deo*.

T. Stephens, S. T. P. *Coll. Jes.*

In Heroa Illum *nunquam satis deflendum*, tertio *die* Januarii *expirantem*.

LIlia *Reginámque* cohors quæ nuper *adempta*
Flevit, nunc mœrens *Arma Ducémque* canit.

Heu!

THRENODIA.

Heu! PAR QUALE recèns (ſexu licèt *impare*) flemus!
Illa Venus nuribus, Mars erat *Ille* viris.
Quis modus ærumnis? velut unda ſupervenit undam;
Jam citò *Granta* ſuos ad nova penſa rapit.
Juſta ſed HENRETTÆ dedimus ſuprema *ſepultæ*:
Eſt ALBÆMARLO jam tribuendus honor.
Indocti doctíque ferant nunc carmina, *Cæſar*
Cùm jubet, & *Patriæ* publica vota vocant;
Dúxque ſenex meruit: Nec plenior Ille diebus,
Quàm *Meritis*. *Talem* ſic cecidiſſe queror.
En! PATRIÆ PATER ipſe decus *Patris* indidit *Illi*:
Hinc *utrique Patrum* fama perennis erit.
Nunc bene *Majeſtas* & *Amor* miſcentur in *æquo*
CÆSARE, tam *fidum* collacrymante *Caput*;
Dîs charum populó que *Caput*. Mihi vota ſuperſunt,
Tales quàm-multos jactet ut AULA Viros.

Tertia nec JANI pòſt, nec *penultima*, multo
Sit ſine ſingultu prætereunda *Dies*:
(*Utraque Lux* velanda Anglis caligine nigrâ!)
Hæc REGEM nobis abſtulit, *iſta* DUCEM.

Guilielmus Fairebrother, in Jure
Civili D. & *Coll. Regal. Soc.*

In Ducem ALBÆMARLÆ, *ſtantem morientem.*

HOc ſitus eſt Pario ſub marmore GEORGIUS Anglus,
Lector, Crede, ſub hoc marmore nemo jacet;

Qui

Qui mare, qui terras, qui ignes superaverat, hîc stat,
Non valet Herculeum flectere Parca caput.
Haud cadit, aut oritur Sol, at cecidisse videtur;
Nec cecidit, per quem Spes *Carolina* stetit.

Fa. Jackson, M. D. *A. Cl. Soc.*

In Imperatoris Mortem verè Imperatoriam.

ARbiter Imperii cecidit, Fatíque minister,
Nam stetit à Mortis partibus ille diu.
Aspexit lucem si quando famelicus ensis,
Quos petit ad tenebras protinùs ire jubet.
Cæde saginatum, spoliis auctum, atque triumphis
Hostem jam dignum Mors putat esse sibi.
Invadit primò tacitè crescentibus undis,
Venter adhuc vivo creverat in tumulum.
Nunc latet in victu, facilè sub nomine amici
Intrat, quæ vitam, dant alimenta necem.
Carneus heu! vitæ fontem tumor obstruit; Ipse
Vivere ubi incepit, cœpit & indè mori.
Nec tamen ignavè occubuit, cùm stare nequiret,
Acriter in Cathedrâ dimicat, & moritur.
Ultima lucta probat validâ cum morte, minore
Hoste Ducem Magnum non potuisse mori.

Hen. Paman. M. D.
Coll. Joh. Soc.

THRENODIA.

Εἰς τελευτὴν τοῦ περιφανεστάτου Ἥρωος ΓΕΩΡΓΙΟΥ
τοῦ ΑΛΒΕΜΑΡΛ

ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

Θεὰ πανώλης Μοῖρα, παμμήστωρ βροτῶν,
Τί δῆτ' Ἀνάγκης δυσλύτοις ἴλλεις πέδαις
Δούλους τ' Ἄνακτάς θ' ὡς τύχεν; Τί βάσκανος
Τὰ μικρὰ θεῖσ' ἐν οὐδενὸς λόγου μέρει
Λαμπρῶν στοχάζῃ, καὶ σκοπῶ οὐκ ἀστοχεῖς
Λαμπρῶ' ἱεῖσα μόρσιμον πτηνὸν βέλος;
Ἥρωος οὐ σεμνόν γ' ὑποπτήσσεις θράσος.
Τὰς σὰς ἀπειλὰς ἀντίον δεδορκότος.
Ὄσσοισι δεινοῖς; ὀμμάτων ἔτλης φέρειν
Γοργωπὸν αἴγλην ἀξίων τυραννίδος;
Ἀρετῶν φάλαγγας μυρίων περισταδὸν,
Χαρίτων τ' ἀολλεῖς οὐ στρατοὺς ὀῤῥωδέεις;
Ἀλλ' οὐδὲ θνήσκει· οὐκ ἔην θανεῖν ὅλως
Ἥρωα τόνδε· ἀλλά μιν πάλαι ποτὲ
Ταγὸν ποθοῦσαι δηθὰ, τὸν μέγαν Ταγὸν,
Ἀπόντα δηρὸν, πρὸς πόλον κεκλήκασιν
Ἱεραὶ φάλαγγες εὔπτεροι τῶν Ἀγγέλων,
Κυδρὸν γενέσθαι τῶν ἄνω στρατῶν Ταγὸν,
Ἐν πατρίῳ δὲ καὶ θριαμβεύειν πόλῳ.
Συμεὼν τὸ Χριστοῦ μὴ πάλαι γενέθλιον
Ἑώρακ' ἦμαρ, στεῦτο δὲ κραιπνῶς θανεῖν,
Κύσας τὸ θεῖον συχνάκις βρεφύλλιον.
Ἥρως ὁμοίως οὗτοσι τρισόλβιος,
Βίον παρέλκων μέχρις ἂν φθάνοι ἰδὼν
Χριστοῦ γενέθλης ἡμέραν παλίντροπον
Ἐνιαυσιαίαν, τὸν βίον χαίρειν ἐᾷ
Ζωοῖς μετεῖναι πλεῖον οὐ θέλων ἔτι.

Ἀλλ', ὦ Μέγιστε, τῆς Βρεταννίας φόως,
Ἀστὴρ ἀνάκτων πρόδρομός γ' ἀπαρκτίας,
Μέγας κομήτης ἄγγελος τῶν κοιράνων
Φαεινὸς, ὀξὺς ποῖ πόλου παρέδραμες
Ἕλκων ἐπ' Ἀγγλοὺς νύκτα καὶ ζόφον βαθύν;
Δεῖξαι βροτοῖσιν, ἐκ τίνος μέρους θέλεις
Στίλβειν ὀλύμπου, ἢ Ξίφους φαιδρῶ πέλας,
Ἤτοι ἀπ' Ἄρκτου, ἠὲ καί που ἀλλόθεν·
Οὐ μὰν δυνήσῃ δηρὸν ἐν πόλῳ λαθεῖν,
Εὑρεῖν γὰρ ἔσται, Καρόλῳ φιλὸν κάρη
Πάλαι σε ὄντα, κἂν πόλῳ, οἷον τὸ πρὶν,
Στίλβοντα κἀκεῖ Στέμματος λαμπρῶ πέλας.
Δέξαι δὲ τούσδε τοὺς αὐτοσχεδὸν γόους.
Ὡς τῶ θανόντος πρὸς τάφον ταγῶ πρυλεῖς,
Ὅταν τύχωσιν ὄρχαμοι κτερισμάτων,
Στείχουσ' ὁμαρτῇ καὶ κόνει μακρὸν δόρυ
Πρηνὲς χαράττει ποικίλων ἴχνη γόων·
Ὡς ἄμμι, μυσῶν μὲν φάλαγξ, Σοὶ πρὸς τάφον
Ὀπηδέοντες, ὅπλα τὰ γραπτήρια,
Μυσῶν τὰ τεύχη, χαρτίου τῶδ' ἐν πέδῳ
Πρηνηδὸν ἑλκόμεσθα, καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως,
Χαράττομεν δὴ πένθιμον μέλος τόδε.
Ψυχῇ δὲ μικρὸν Σῇ ὑδρόσπονδον τόδε
(Καὶ τάσδε δέξαι τρὶς μάκαρ ψυχὴ χοάς)
Χύτλον φέροντες δακρύων ἀεννάων
Σοὶ σπεισόμεσθα τύμβον ἄρδοντες τεόν.

R. Creyghton, L. Gr. Pr. *Coll. Trin.*

Abstersit

THRENODIA.

ABſterſit nondum lacrymas Academia Mater,
Funere Regali queîs maduere genæ:
Altera quum triſtis nos urget cauſa dolendi,
Quæ cogit luctus ingeminare novos.
Palladio ſpoliata ſuo Reſpublica luget;
Patria, & imprimis CAROLUS Ipſe, dolet;
Illum, qui Patriæ Patrem, Regíque Senatum
Reddidit, heu! nobis abſtulit una dies.
Quando autem miſeros, GEORGI, ſic deſeris Anglos,
Et Superi te nunc ad ſua regna vocant,
O nè unquam redeat, Duce te diſcuſſa, procella,
Perfida, quo vivo, turba quieta fuit.
Quondam ſæva Tibi parebant fata, jubenti
Quà libuit vitam, quà libuítve necem.
Hinc mors callida Te non æquo Marte petebat,
Sed fractum morbis improba adorta fuit.
Interea flemus: rident tres ecce Sorores,
Te, Dux, arte ſuâ dum periiſſe vident.

Fran. Bridgeman, Filius Domini
Orlandi Bridgeman, Cuſtodis,
magni Sigilli, *Coll. Magd.*

FInis eſt bello: redit ad Triumphum
GEORGIUS, magnus Britonum Imperator;
Milites jactant ſua, dum Togati
Carmina condunt.
Ipſe Rex currum ſequitur reductus;
GEORGIUS ſellâ ſedet in curuli;
Nempe jam primùm petit hos honores
Ultima paſſus.

Justus in vivis aberat Triumphus,
Gloriæ totus CAROLI litabat,
Quódque captivos animos trahebat
Sat sibi duxit.

Oh! tui parcus nimis æstimator,
Facta cui rectè faciunt ruborem,
Nec nisi exanguis pateris triumphum
Fronte serenâ.

Exeras charum caput, O Beate;
Semper obscuras repetes latebras?
Quamdiu noto *Monachus* reducet
Ora Cucullo?

Anglus, exultas ubi tu, dolebit;
Gaudii Belgas socios habeto,
Seu magis Galli Saliæque gentis
Grata chorea est.

Ferre qui vivum nequeunt, triumphent;
Anglus, ut functum tulerit, veretur;
Quique Te nondum didicit carere,
Luget ademptum.

Carolus Wright, Trin. Coll. Soc. Proc. Sen.

PLures Joves fuisse, plures Hercules
Testantur antiqui monimenta seculi;
At quicquid omnes fecerant Heroïcum
In unius solet refundi gloriam:
Sic ante natales Tuos, Dux inclyte,
Olim ferunt fuisse Sanctum GEORGIUM;

At

At Te nepotes GEORGIUM credent eum,
Et Angliam, quam liberâsti, virginem.

Sam. Beck, Jun. Proc. *C. C. C. Soc.*

DIsrupta *Hollandæ navalis* Cornua *Lunæ*
Non nisi sunt famæ buccina rauca Tuæ.
Te pia pugnantem velârunt nubila fumi,
Condere sic nubes numinis ora solet.
Dum Tua victrices cingebant Tempora Laurus,
A Bombardarum fulmine tutus eras.
Non auro, rutilas *Batavo* sed *sanguine* arenas
Æquora (quod majus nobiliúsque) ferunt.
Suecia Gustavi fileat miracula Adolphi;
Clarius en nostro fidus in orbe micat.
Mars Terris, Nestor monitis, Neptunus in undis,
His tribus auspiciis stant *tria Regna* Tuis.

Dux hydrope laborans.

ARtes inscriptæ Sethi periêre Columnæ,
Mersus Diluvii cùm fuit orbis aquis.
Sic Regni hic cecidit, Musarum & nobilis Atlas,
Dum tumidum hydropis corpus abundat aquis.
Ast Anima Ætheream, velut olim Turtur, ad Arcam
Tendit, námque *moram hîc non patiuntur aquæ.*
Turgentem hinc nostris hydropem mandat ocellis,
Fit Globus & lacrymis Insula uterque suis.
Hæc Tua sic Pietas *lustrali flumine* terras
Cæde cruentatas officiosa lavat.

Conspirant

Conspirant ambo in nostras Elementa ruinas,
Ignibus atque undis bis *nova Troja* perit.
Dum totam hoc facinus vitiavit crimine massam,
Nulla, nisi in lacrymis quæ fluit, *unda pia est.*
Continet hic, nostris quicquid sit nobile terris,
Dum sic *Terra-aqueus* visus & ipse *Globus.*
Fluxus, refluxus, quasi tot suspiria ab imo
Corde Thetis fundit; palpitat usque dolor.

Imperatoris ad instar, stans moritur.

NOn *jacet* Hic, nè morte quidem; nec cedere fatis
Dignatur: moriens *stat* monumenta sibi.
Alta petit mens alta; sed ambitione remotâ,
Ambivit *Summum* non nisi morte *locum.*

ARma virúmque cano, Scotia qui primus ab oris
Optato Angliacas ditavit lumine terras.
Sol Boreâ exoritur, lux è caligine; mutant,
Te mandante, suum Natura & tempora cursum.
Clarum sanguineâ rediit sic mane fugatâ
Nocte, sequuturum dat *vespera rubra* serenum.
Ille *Axis* regni meritò dicatur, ab Arcto
Dum, per utrumque polum, rectè tendebat in Austrum,
Hoc uno Angliacus dum cardine volvitur orbis.
Hostes Hic solâ vultûs, placidâque fugavit
Majestate manûs, Regem dum pectore condit.
Illi *à consiliis* nemo, nisi Numina, *sacris,*
Nec fas est *sanctam* scrutari Pectoris *Arcam.*
Mercurius *cælúmque inter terrámque volabat*
Nubibus obscuris latitans: sic numina nostros
Effugiunt oculos, magis & veneranda videntur

Quæ magis obſcurum referunt Myſteria ſenſum;
Plenior & *Nigra* eſt terrore & fulmine Nubes.
Sic venit, vicit: ſic ipſe Archangelus olim
Dæmona non armis, ſed *diſceptando*, ſubegit.

Ja. Lowde, A. M. *Aul. Clar. Soc.*
& Acad. Taxat. Sen.

GLoria quanta perit nobis? cantatâ Deorum
Præ qua ſordeſcunt nomina, Roma, tua,
Reddidit Ænean invictum Muſa Maronis,
Hujus at in laudes fabula nulla venit.
Pelidæ, nati & Laertâ legimus acta,
Sed majora Ducis vidimus acta manu.
Nec ſolùm, quos terra dedit, jactamus honores,
Tantæ virtutis teſtis & unda venit.
Vos, Belgæ, quoties fluctus vidêre trementes,
Et maturantes, Hoc veniente, fugam?
Magnum terra dedit, magnum dedit undáque Nomen;
Sed CAROLUS rediens, Te Duce, quale dedit?
Quas laudes, quos tunc meruit ſine cæde triumphos?
Dextræ magna, animi gloria major erat.
Conſilio quot tunc fregit, non Marte, cohortes?
Languentem hâc patriam reddidit arte ſibi.
Templa Deis hâc arte dedit, dedit otia ferro,
Hâc populo leges, hâc *Carolúmque* dedit.
Nobis & rebus noſtris dedit Ipſe ſalutem,
Heu! perit, infelix Anglia, veſtra ſalus.

Elias Bachiler, A. M. *Coll. Regal. Soc.* Taxatorum alter.

Caſtalios

CAstalios latices sacri de vertice montis
Da mihi Phœbe, precor, celebrare ut carmine possim
Dignum laude virum, quo non insignior alter,
Toto nec famæ radiis illustrior orbe.
Pacis opus primùm mirer, bellíne labores?
Quid dicam placidos servato pondere mores?
Quæ pietas? Quæ prisca fides? prudentia quanta?
Quantus amor recti, jam tum spectatus & illo
Tempore, cùm sceleris tanta essent præmia, quanta
Penè vel incoctum generoso pectus honesto
Concuterent, Regnum, diademata, purpura, fasces,
Cùm CAROLUM in Patriam sine cæde & sanguine, Cœli
Depositum, armatus multâ cum pace reduxit.
Quid Decios mihi, Roma, tuos, Fabiíque triumphos,
Scipiadásque duos narras, & fulmina Belli?
Huic similem gens nulla Ducem tulit, Anglia quondam
Bellatrix tanto nec se jactabit Alumno.
At tandem Fato cessit Vir magnus, honoris
Jam satur, & voti compos, jam Rege reverso,
Opportunè obiit felix, non indigus ævi,
Nec nimius, Pylíi at dignus vel Nestoris annos
Vivere, vel potiùs vitæ transcendere metas.
O Dux, salve perpetuùm mihi, maxime MONCHI,
Perpetuúmque vale; nimiùm foret Anglia felix,
Tale decus sæpè, & similes si Heroas haberet.

C. C. Coll. Regal. Soc.

Exsurge

THRENODIA.

EXsurge Marmor, arcuati formicis
Deterge stratum, saxeámque chlamydem
Celsissimi injice in humeros fortes Ducis.
Quid triste Cæsarem hospitem Marmor sitit?
Augustiorem victimam hic tegit Lapis.
Luctûs tributum cui tiara principum
Et ipsa solvit purpura. Orbis gestiunt
Suis Monarchæ sumptibus clarissimam
Augere gloriam Rogi. Nullus premat
Tamen theatrum: CAROLI solus Dolor
Duci Inclyto quàm lugubrem Scenam struit!
Sceptri potentis splendidas spargens opes
Fastus adornat funeris; Reliquos sinit
Spectare pompam, cujus ipse est Regius
Faber. Sic Aurum (Magne CÆSAR) deplue;
Regaliter sic minue gazas: Principis
Verè est, fidelibus revixit Artibus
Quorum corona, sceptra sumptu funera
Curare; Ad insigne Meritum Herois stupet
Orbis: Loquatur Vulgus, Epitaphium
Sed Marmori Reges figant. ———

Edwardus Kemp, Coll. Regin. Socius.

Tumulus GEORGII *Ducis Albemarlæ.*

TOlle graves Lapides, lacrymosáque Marmora tolle,
Non istis huic est accumulandus honor;
Usque adeò angustum est quicquid compre'ndere possit;
Bustáque dissilient *Hospite* rupta suo.

Proh quantus! proprio tria dans Diademata Regi!
Quémque *Patrem* indigitat, qui Pater est Patriæ.
Quid mirum, toto si vix dum clauditur Orbe?
Unò non jaceat Gloria tanta loco.

Sub pedibus sita sit Caledonia: molle paretur
Pulvinar Capiti Terra Britanna tuo,
Et superimpositus tibi surgat Hibernia *Cippus*:
Singula se debent hæc Tria Regna tibi.
Atque Tholis affixa tuis, Quæque Insula circùm
Pendeat, ut dextræ justa Trophæa tuæ.
Illîc Res Scotiæ, & pugnata ex ordine bella,
Quà mare, quà tellus, *Arma Virúmque cane.*
Nec procul hinc (INVICTA licèt) *Sterlinga* notetur.
Fisa si quid dignum, *Forthâque* si quid habet:
Orchades atque Hebrides, Mundi procul ultima Thule
Hæc nostro Alcidæ sola *Columna* manet.
Conjuratorum stent *Consistoria* fratrum
Ipsa *suo* victas *Fudere* vincta manus:
Stabit & à tergo gemebunda & *naufraga Classis*,
In lacrymis eheu! (quàm bene?) mersa suis.
Parte aliâ, Fluctu spumantia Cærula cano
Cernere erit, lato & fervere bella mari:
HUNC celsâ in puppi, (frustrà rugiente Leone
Batavico) tumidis ponere jura fretis:
Fractas undique Classes, disjectáque antennas:
Nereus in tremulis abdidit ora vadis.
Palluit ad rauci Thetis ipsa tonitrua Campi;
Sed, fugitive, *rubet* sanguine, Belga, tuo.

HUNC TUMULUM *vivens* posuit sibi *Monckius* ingens.
Claudito Marmoreas, signa adamante fores

THRENODIA.

O nunquam referandas! Nec, dum Regna manebunt,
Qui prope Te jaceat, MONCKIUS alter erit.

Guil. Quarles, Aul. Pembr. Soc.

Epitaphium Ducis ALBEMARLIENSIS.

SIste viator,
& Effare marmor.
Hîc jacet Angliæ Genius tutelaris,
GEORGIUS MONKIUS, Dux *Albemarlienſis*,
Eques Periſcelidis, & Britannici militis
Imperator, &c.
Nec magis titulis, quàm meritis inſignis,
Virtute bellicâ clarus vel ab incunabulis,
Martis audiat Primogenitus.
Ut omittam apud Scotos quot præſtiterat egregia,
Quoties ſubdolùm cautè ſatis fefellerat hoſtem,
Nobis Angligenis erit Sanct. GEORGIUS ſecundus,
(Quis futurus tertius nondùm conſtat)
Ni magis dignus qui primus habeatur:
Utpote qui non Virginem ſolùm, Regiam licèt liberavit,
Nec unicum tantùm Draconem fortiter licèt jugulavit;
Verùm ter centum Dracones, Senatum nempe, totûmq; gregẽ
Proſtravit & peſſundedit. (Democraticũ
Quin & Regem, Regiámq; proſapiã, triplexq; Diadema ſartum
Quaſi poſtliminio reduxit. (tectum conſervatum
Terror erat tum vivus, tum moriens delirantibus Fanaticis,
Et fruſtrà excandeſcente phrenetico perduellium zelo,

Et nihil obstante formidabili Militum apparatu,
Et Regno Regem, Regi populum, populóq; pacem, verámq;
cunctando restituit. (libertatem
Nec minùs apud exteros, quàm apud indigenas
Inclaruit nomen, fama, & honos GEORGII;
Senserunt Batavi (neque enim pudet referre)
Invictum & impavidum Ducis nostri animum,
Cùm hostilis militis heu! quantâ copiâ
Oppressus penè videretur.
Nec Belgas reformidavit, nec Gallos, imò nec rabidam pestem
Ære plusquam triplici munitum GEORGII pectus,
Generoso scilicet incoctum honesto.
Quò verò magìs grassata est hæc lethalis pestis,
Eò impensiùs muneri vacavit militari
Dux vigilantissimus.
Annorum tandem, Virtutum, & honorum plenus,
Postquam Pacem procurâsset ritè stabilitam,
Filiúmque unicum optimè vidisset maritatum,
Sponte jam cessit hosti à se sæpiùs profligato
Aliàs cedere nescius.
Obiit 3° *Jan.* Anno Dom. 162.
Non molli recumbens lecto, sed insidens solio,
Ut vixit sic obiit Imperator,
Intellectu vel in articulo mortis nihil vacillante.
Festi extremum Natalitii in cœlis absoluturus,
Cujus Adventum in terris Religiosè observârat.
Et ultimum jam spirans halitum
Regi CAROLO vota gestis majora,
Populo Anglicano pacem & illibatam Religionem,
Et hæredi intemeratam ad extremũ usq; erga Regẽ fidelitatẽ
D. D.
Interim nè metuas Viator festum hoc, quo obiit, solenne
Lacrymâ

THRENODIA

Lacrymâ ſaltem unâ aut alterâ commaculare,
Ni parùm deceat manes Ducis in cœlis jam triumphantis
Vel lacrymulâ violare.
At abi viator,
Et cùm imitari nequeas,
Nè deſinas admirari.

Jo. Radcliffe, S.T.B. & Coll. Magd. Soc.

NUnquid in æternum? Quin longos mitte dolores,
Et juſtis Lacrymis ſit modus, Alma Parens.
Quid laceras vultus iterum? Quid pectora tundis?
Perpetuum funus ſola MARIA dabit?
Sic bene lugemus miſeros, ſic fata malorum:
Hocce parentari noluit illa modo.
Fallor, & agnoſco recidivo ſortè dolori
Cauſam (quam metuo) poſſe ſubeſſe novam.
Quæ niſi ſummorum Regum Patriæque Parentum
Nulla dolere ſoles funera, Muſa dole.
CAROLUS uſque decus tertis, manet uſq; propago
Regia, cura Dei, deliciæ populi.
Unus adhuc ſupereſt, niſi non ſupereſſe dolemus,
Cui planctus debet docta caterva ſuos.
Hoc video: Tu fida ſed infeliciter, Alma
Mater, namque hodie Regia buſta paris.
Occidit (heu!) Regni Stator! quis cætera fando
Explicet! has vires nulla poëſis habet.
Sentio depreſſæ mentis per pectora ſuſum
Murmur, quod pietas vix cohibere valet.
Quid nos (ô ſuperi) in cœlum committere tantum?
Anglia quid potuit? Quid meruêre boni?

Uſque

Usque adeò omnigenos uno jam fulmine mulctat,
Perderet utque omnes Jupiter, unus abit.
Siccine sævitum est in Te, Brittannia, semper?
Et dabis æternos hostibus usque jocos?
Sed nec inexperti sanè sumus ante malorum:
Conquerimur primis jam graviora malis.
Cùm furor Anglorum mentes agitaret & arma,
Anglia & undabam sanguine tota meo:
Non ego causabar cœlos, non jura suprema;
Nil animi verbis impatientis erat.
Sensi olim intrepidè pestem Flammámque vorácem;
Urbes hæc uffit, viscera & illa mea.
Perdere vel terras omnes quæ singula possint,
Hæc ego constanti pectore juncta tuli:
At non sola tulit: per Te, Dux inclyte, totum
Hoc potuit; per Te post malà tanta valet.
Certa sub auspiciis vestris sua fata repellit,
Consilio freta, & viribus usa tuis.
Anglum non flammæ terrent, non vulnera pestis
Te Duce, & in diro tempore victor erat.
Unius hæc potuit virtus, hæc GEORGIUS, ætas
Præsens quæ vidit, Postera vix capiet.
O si quam patriæ vitam tua facta dederunt
Æternam, hanc possent reddere fata tibi!
Per nova quæ faceres sentirent fortè nepotes,
Quæ sumus expetti vera fuisse tua.
At ridet Cœlum miserorum hæc irrita vota,
Inque suum damnum non solet esse pium.
CAROLUS in cœlis nunc primùm vota suorum
Damnat, & immemores non sinit esse sui.
Anglia mitte meum, Regum Sanctissimus inquit,
CAROLUS, Alter Ego; sufficit Ille Tibi.

Nuper

THRENODIA.

Nuper ut aggressa est summi laquearia cœli,
Et petiit sponsum Diva MARIA suum:
Oscula dum sacra, & pia dum consortia miscent,
En tibi virtutis præmia, Martyr ait.
Ergò quid in terris languet fortissimus Heros?
Munera num cœli negligit ille pia?
Negligat ille sua, at quid gaudia nostra moratur?
Vendicat & cœlum hunc, impatiensque moræ est.
Jam satis armorum, Victor, satis atque laborum,
Quid miles toties militat emeritus?
Nec te sollicitet belli, Brittannia, cura,
Extorsit virtus hostibus arma Ducis;
Quem reducem solio posuit Dux, CAROLUS Alter
Firmatam pacem perpetuamque dabit.
Nil quod agas superest: quin cœlo redde triumphos,
Ut citò Te reddas, CAROLUS ipse volo.
Dixit; & ille capit demissa per æthera verba,
Maturátque fugam promptus ad astra suam.
Primáque dum superûm Dux noster limina calcat,
Protinus occurrunt agmina sancta Poli:
Primus erat Michael, cœlíque exercitus omnis
Adstat, & intrantis claudit utrinque latus.
Cætera quis narrat, quæ tum potuêre Superni,
Quæ meruit virtus justáque fama Ducis?

Hum. Gower, S. T. B. Coll. Div. Joh. Socius.

CIvis obit, cives inter clarissimus omnes
Fuêre quotquot aut erunt;
Expendis si facta viri sublimia, dotes
Aut inclytas si respicis.

Auspice

Auspice quo tria regna gravi collapsa ruinâ,
Terrúmque prolapsa in Chaos,
In decus emersêre suum robúrque, reducta
Pax est, & ordo redditus,
Cui reducem CAROLUM debemus, sceptráq; nostra
Repôsta justas in manus;
Cui leges nostras in prisca sede locatas,
Quas dira vis refixerat;
Sacráque cui, toties ausis temerata profanis,
Nunc aucta cultu debito.
Marte nec hæc crudo, vel fœdâ clade peregit,
Sed ensis umbrâ fulgidi,
Nominis aut famâ; quòd sese ostenderit hostem
Suffecit in victoriam.
Sed nec pace minor quàm bello floruit Heros,
Nec subditus cessit Duci;
Non magis imperii clavum tractare peritus,
Quàm promptus obsequi fuit:
Incubuit curâ semper vigilante fidelis
Custos salutis publicæ;
Non in reddendâ nobis quàm in pace tuendâ
Prudentior vel fortior.
Accessit, laudes quâ complet nulla coronis
Illustrior, modestia:
Laude fuit melior, quam surdâ transiit aure
Quòd pertineret ne sclus;
Sorte suâ major, quâ non elatus inanem
Descivit in superbiam;
Atque suo demum merito præclarior, illo
Premente, nemini gravis.
Talis, Magne, jaces; monumentorum insigne locatur
Tibi superstes Anglia.

Guil. Lynnet, S.T.B. *Coll. Trin. Soc.* DUX

THRENODIA.

DUX in Cathedra moriens.

SE Lecto fati certus Dux extulit ultrò;
Hinc divinandi vatibus ampla seges;
Protulit innumeras causas audacula turba;
Vera nec è cunctis forsitan ulla fuit.
Prodimus affines veris utcunque. Videri
Noluit ille, etiam cùm moreretur, iners.
Vel puduit morti toties incumbere visum,
Huic tandem veluti succubuisse, Ducem.
Aut excepit eam, se coràm sternere credens
Turpe, sui decoris pro ratione, sedens.
Nec voluit Parcam sic insultare; tremendus
Ille meis pedibus subditus ecce jacet!
Si sto cadam, dixit moriens, si cumbo jacebo,
Iste meam vitam mortis uterque situs
Dedecet: ut vixi moriar constanter & altè;
Hinc capio sellam, mors modò grata veni.
Ambivit vivum fruſtrà, quem jure rejecit,
Accipitur jure à demoriente, thronus.
Post tot quæsitas palmas, devictaque regna,
Sella triumphalis contigit illa Duci.
In campo mallet Bellator quærere mortem;
Aſt usquam campus nè foret, Ipſe dedit:
Inque acie forsan stantem, & victricibus armis
Accinctum, impetere haud ausa fuisset Eum.

Epitaphium.

Hic jacet (ut paucis discas, stupeásque viator)
Qualis nullus adhuc civis, AVUS PATRIÆ,
Guil. Corker, A. M. *Coll. Trin. Soc.*

ET Fatis tandem cessit, qui spicula mortis
Excussit toties? toties qui vulnera tutò
Risit, & armatus solâ virtute phalangas
Irruit in densas, subversis undique signis?
Evasit qui tot casus, discrimina tanta,
Spes sanè miseros lactabat vana Britannos
Non potuisse mori, & solitos finire triumphos.
O ego si possem supremum flectere numen!
Serior in cœlum rediisset, & Anglia Tanti
Herois nondum flevisset funera mœsta,
Quanquam quid lacrymas, planctus, sparsósque capillos?
Cur vacuæ implentur querulis ululatibus auræ?
Desinite ô socii, placidéque obdormiat, annos
Quem per tot longos, rexit dum spiritus artus,
Tam bene pro patriâ grati vigilâsse fatemur.

Arvos, O Superi, summo sub Rege merentes,
Huc validas afferte manus, fulgentia & arma:
Defuncti supplete locum, & circumvolet oras
Angliacas semper nivei Victoria pennis:
CAROLUS ut regnet felix, quam MONARCHUS olim
Rettulit, æternùm & florescat Pacis oliva.

Fabius Basset, A. M. Coll. Gonv. & Caii Socius.

QUis canat *Alcidem* posthac? quisve *arma virumque?*
Æneæ *novæ Trojæ* tenet sedolentia busta,
Qualia quæ campo nunquam micnêre Latino.
Qui satus Anchisâ *vidua* post fata Sichæi
Suppetias tulerat, Regi *Hic* soliòque locavit.

In Scotia *nebula circùm se fudit amictu,*
Ne quis scire dolos, *mediúsve occurrere posset,*
Incedit *taciti per amœna silentia* rumis,
Invadítque urbem, *nebula* rursùs fulmina mittens.
Non secùs ac Phœbus dum lustrat lampade terras,
E glebis exhaurit aquas, laticésque profundo,
Cùm levibus radiis placidè lata æquora lambit,
Indè vapor multus, surgit circum fluus humor,
Sed *nubes* non visa prius quàm pendula cœlo.
Sic *mediâ regione* situs Dux emicat hostis,
Horrendi rutilans ut *cœli exercitus* instat;
Illico panduntur portæ, nam numine pulsat.
Nec Sibi nec Superis visum hoc sat, pergere tendit,
Et tandem *mediâ* posuit *vexilla Suburrâ*.
Mox pius Æneas gestit servare Penates,
Quos pœnè absumptos dederant incendia belli,
Atque *Patrem Patriæ* scapulis gestabat in urbem,
Dardanio major, *Trojæ* compescuit ignes.
Quis canat *Alciden?* Popularem *Hic* contudit *Hydram*,
Fronte suâ *Batavum* poterat terrere *Leonem*,
Non iracundo metuens dare verbera ponto,
Castigare fretum, fluctus dum *Tartara* mudant,
Augeum stabulum purgat, putrémque *Senatum*,
Labentíque orbi succurrit *Regius Atlas*.
Non erat exuvijs tectus, nec pelle leonis
Alcides noster, nudus vel milite pauco,
Scotigenûm *Pictísque viris* illaserat hosti.
Talis erat quem fata velint occumbere morti,
Jam titubat terræ fulcrum, sæcli cadit ingens
Lumen præsentis, nautis *Cynosura* futuris.

Johan. Warly, A. M. Aul. Clare. Soc.

MOrs struit insidias, periit *Palinurus* hydrope,
Non *pelago*, at proprio mergitur Ille *Salo*.
Quid non saeva sibi vellent elementa *licere*,
Post domitum Oceanum, *si jugulatis aquis?*

Idem.

In Cippum Ill^mi Ducis ALBEMARLENSIS *in Sacello Regis* Henrici *septimi extruendum.*

SIste paulisper, Viator,
Quisquis heic audacior Regum cineres premis,
Tua huc, si lubet, vestigia flectas,
Et sacras ALBEMARLENSIS reliquias venerare.
Jacent hîc Tanti Viri exuviæ
Intra tot Regum viciniam;
Et illustrem GEORGII urnam,
Juxtâ avitos cineres
Sacris *Tudoriana* gentis favillis
Pio CAROLUS officio miscuit.
Tuum jam, *Elisabetha*, latus propior contingit
Egregius Monarchiæ vindex,
Et supra classis Hispanicæ victoriam
De tua Britanniâ meritus.
Vos autem, sacri Manes,
Siquæ hîc inter vestra monimenta
Regales oberratis umbræ,
Cernite novum hunc & eximium vestræ sepulturæ hospitem.
En quantus Heros! quales attollit oculos!
At quicquid illi agilioris & divini

Iners

THRENODIA.

Iners nuper & aquosum corpus ægrè trahebat,
In cœlum evolabat lymphis intacta anima.
Micantem etiamnum *Mariæ* tramitem
Et nuperi splendoris adhuc conscium sectatus,
Ad illustre *Caroli* Patris fidus *Georgius* properabat.
Siquidem stellas immigrare defunctas hâc vitâ animas
Paulò beatiores haud vani credimus;
Ille demum *Stuartiano* vortici
Illustrior accedet stellula.
Illic æternis gyris *Carolinum* sidus
Eximius astêcla comitatur.
Gestit CAROLUS sacras miscere dextras,
Et viri paulò majores vultus intueri;
Gestit totis hausisse radiis
Filii simul & Paternæ cædis ultorem.
At Tu, GEORGI, sic nec cœlum ipsum
Nec vicinæ angustiores umbræ usquequaque arridebant,
Licèt in memoris CAROLI mente tutior superstis,
Et dum intra sacri pectoris penetrale requiescis,
Non poteris angustiori tumulo reponi.

Hen. Gostling, A. M. *Soc.* C. C. C.

TE, GEORGI, num fata vocant? nimis invida terris
Jussa Deûm nostris! fuit ah! quis charior Anglis?
Quis meruit majora? Tuâ, Dux optime, dextrâ est
Reddita libertas nobis: Tu murmura turbæ
Sedabas querulæ, & *divisas* Rege *Britannos*
(Quod solus poteras) *concordi pace ligabas*.
O patriæ præclustre jubar! caput infer Olympo
Emeri-

Emeritum bello, nimiùm, te sospite, felix
Visa Deis, nimiúmque potens Brittannica tellus.
Plebs plorat, non sola tamen, suspiria miscet
Plebeiis trabeata cohors, suspiria miscet
CAROLUS, humectans lacrymis regalibus urnam.
Anglorum communis amor! tibi tota sepulcrum est
Anglia, tota tibi tumulus, juvenésque senésque
Te linguâ, te corde gerunt, te pectore versant.

R. Blyth, Aul. Pemb. Soc.

In Obitum Illustrissimi Ducis GEORGII MONKE *in Cathedra defuncti.*

QUæ non in mediis stantem pessundare turmis,
Sternere nec lecto Te valuêre tuo,
Ad Cathedram tremebunda tuam curvantur, & orant
Vulneribus veniam fata locúmque suis.
Quæ stando subigis, poteras vicisse sedendo;
Consulis hoc, validi militis illud habes.
At, quod nos latuit, serò, Dux magne, docemur
Te, quia nolebas vivere, posse mori.

T. Goodlad; A. M. Sid. Coll. Soc.

SOlvimur in gemitus, lacrymas, suspiria, luctus
Solvimur haud frustrà Angli, cùm lugubria justa
Reginæ Matris, Ducis aspera threna sequuntur.

Nempe

THRENODIA.

Nempe hoc amisso, se orbatum utroque parente
Agnoscit CAROLUS, geminóq; accingitur ostro;
Illa dedit CAROLUM vitalem in luminis auram,
Hic profugum, & varios ignota per æquora Regem
Pertæsum errores, antiqua in sceptra renatum
Reddidit, & solio reducem firmavit avito.
Ergo ille in terris plenos emensus honores,
Hinc cœlum petit, atque illic cedente Boote
Excipiet currûs Carolini lætus habenas.
Tu tamen, O Heros, Custos fidissime Regni,
Perge tuos etiam in cœlo curare Britannos;
Perpetuâ Angliacas Arctoo è limite luce,
Et non casuro respecta sidere terras.

L. Topcliffe, L. B. *Gen. & Cai Coll.*

MUsa tot Augustis *Monachi* jam assueta triumphis
Credidit invictum non potuisse mori:
Nunc stupet, & queritur; *Monachi* quòd nomine digno
Nominis (heu!) Meritum perfida fata negent.
Scilicet ut quanquam Deus immortalis haberi
Solus erat dignus, tollere Morte velint.
Non te *Lambertus*, neque te Fanatica turba
Terruit, aut contrà tendere vi potuit.
Quin etiam veluti Boreâ crepitante virescit
—Laurus, victor Ovans ex Aquilone venis.
Scotia te felix, felixque Britannia cantat,
Téque patrem patriæ CAROLUS ipse vocat.

R. Sanderson, A. B. *Coll. D. J. Soc.*

Αἰάζω

Αἰάζω τμηθέντ' ἐριθηλέα ὄζον Ἄρηος,
Καὶ σταθερὸν θείης ἵρμα δικαιοσύνης.
Πρῶτον Ζεὺς χρύσειον ὅταν γένος ὤπασεν, ἦσαν
Ἥσυχοι, ἠδὲ καλῦ μῦνον ἔχοντο βροτοί,
Νόσφιν ἄτερ πολέμοιο· μόνον στονόεντα τετάρτῳ
Ὑσμίνης κρατερῆς ἔργα μέμηλε γένει.
Ποῖον δ' (Ἀγγλιακεῖς μέγα πῆμ') ὀλοφυρόμεθ' ἄνδρα;
Αὐτός τ' αἰχμητὴς, ἠδὲ δίκαιος ἔην.

QUalia funereæ sunt hæc solennia pompæ!
Quis tales unquam viderit exequias!
Undique tristitia est, cùm tota Britannia ploret,
Et salsæ multus defluat imber aquæ.
Damnum, si largo quis fletu perdat ocellos,
Quam tenue est! Oculis charior Ille fuit.

FIngere si liceat nobis solamina, dictis
Parce, haud injustâ morte peremptus eras;
Sed meritò occumbis: Tibi præmia digna rependit,
Et Deus ad sedes evocat æthereas.
Quid faceret tellus, cùm Se tibi debeat Ipse,
Quem nos terrestrem novimus esse Deum?

Jacobus Manfeild, A. B. Trin. Coll.

RErum certa salus nostrarum & gloria, GEORGI,
Sospite quo, faciles vidimus esse Deos.
Sive Caledoniis, recolam, cùm salvus ab oris
Huc aderas, numen dum properaret iter.

Sive

Sive juvat *Batavi* memorare novissima Belli,
Cùm *toties uno victor ab hoste* redis.
Indè, minor nostras metuit fortuna querelas,
Credita dum curæ sacra Corona tuæ.
Hinc, vacuâsse suas videantur fata pharetras,
Omnia dum temnens, irrita tela facis.
Fatorum invidiam cùm sic superaveris, ultrò
Fortiter ostendis, te quoque posse mori.

Johannes Jones, A. B. *Trin. Coll.*

Ὅσσοι ναιετάουσι Βρεταννίδος ἔνδοθι νήσου
Νῦν κόπτωσιν ὁμῶς στήθεα μυρόμενοι.
ΜΟΓΚΟΣ, ὃς ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος ἠδ' ἐνὶ βουλῇ,
Θῦεν ὃς ἀμφοτέροις, καὶ δορὶ, καὶ σοφίῃ,
Πᾶσι μάλ' Ἀγγλιάδῃσι γόον καὶ πένθος ἄλαστον
Κάλλιπεν, οὐλύμπου γαῖαν ἀμειψάμενος·
Ὃν πολλαῖς δοράτων, ξιφέων θ' ἑκατοντάσι πολλαῖς
Οὐ δύνατο βλάπτειν κυδιάνειρα μάχη,
Κοινὴ πᾶσι βροτοῖσιν ὅμως μιν ἀπώλεσε μοῖρα,
Ἣν φυγέειν πως οὔτ' ἀλκίμῳ ἀνδρὶ θέμις.
Ἐς μακάρων δ' ἀνέβη νῦν δώματα· ἡ δ' ἐπίσημος
Δόξα πάλαι θείων ἄγχι βέβηκε θρόνων.

J. Nailer, A. B. *Aul. Pemb.*

ROma salutares Divos per templa, per aras,
Soteras coluit Græcia vana suos:

Dux sacer at Moses, & clarus Josua Nuni,
Fortis & Othoniel; postea, magnus Ehud,
Hi salvatores populo celebrantur Hebræo,
Per quos Abramidûm gens sacra sospes erat.
Tantus Conservator erat Dux inclytus: atque
Nuniden, Jesu qui typus ipse, refert:
Qui populo longo errore atque tyrannide presso
Finibus Ægypti, cæco Arabúmque solo;
Virtus tanta suæ & Divina potentia dextræ,
Numen Is Isacidis auxiliare vehit,
Et fert ad terram promissam, pinguia frugum,
Immanes botros, dulcia mella, sata:
Quem non ad lacrymas ergò hæc jactura moveret
Seu ſcopulis Scythiæ natum, ſeu collibus Hæmi,
Seu fotum invidiæ manibus gremióque furentis?
Heu! cur non potuit damnoſæ fila ſenectæ
Exuere, atque alios melior revireſcere in annos?
Et dolet, & mallet vixiſſe diutius Atlas,
Et queritur diras nimium properâſſe ſorores.
Heu! MONCHUM periiſſe dolet, ſaturúmque Trophæis
Intraviſſe Polum, tanto ſub pondere multùm
Ingemit, & cœlum ſe declinare videtur
Ad terras propiùs, námque Atlas ſudat & omne
Rettulit os in ſe, ſic toto nuncius orbi
Exhibuit regni damnum fatale Britanni.
Sed quoniam MONCHUS cœli dignatur honore,

Com-

Complevítque ſuos quos terræ debuit annos,
Sit Deus, & ſacris vigeat, templiſque colatur.
Et quà nobilium valvis celebrantur apertis
Atria conſideat, pedibus ſolióque Tonantis
Proximus accumbens aquilâ tutela remotâ.
Tum ſi monſtra parit tellus, ſi carcere rupto
Ipſa relaxatis pubes Titania vinclis
Aſpiciat cœleſte jubar, non Pelion Oſſæ
Injicere audebit, totúmque invadere cœlum.
Tum Veneris natus, magno qui cedere Turno
Noluit, Huic cedet: Cæſar, cùm viderit, Ipſe
Cedet & agnoſcet jam ſe vidiſſe priorem.

Ch. Wyvil, Trin. Coll.

SIc ille cœli Magnus auriga, arduo
Curſu peracto, fulgidum ponit ſalo
Caput, relictas veſtiens caligine
Terras: ſuperba nuper adventu Tuo
Anglia, receſſu mœſta nutat ultimúm.
Nobiſcum abhinc commutet Hades nomina,
Hades vocetur licet abhinc Britannia;
Hîc turba miſerè oberrat umbrarum vaga,
Non patitur Umbras gloriæ tantæ jubar:
Aſſurgat alto nomini Heroûm cohors;
Conferte lauros quotquot olim eburneo
Curru Senatus traxit ad turrem anſeris;
Debetur omnis unico laurus Viro.
Terrâ ſubegit copias Rebellium,
Marîque navales Phalangas hoſtium,

Unam valeret sordidam Parcam modò
Vincere, supremo audiret æqualis Jovi.

Oldham, Coll. Div. Joh.

PErdomitis Belgis, Patriâque in pace relictâ,
Anglorum, & Regum Magne Redemptor, abis.
Agnoscunt tandem pietatem sidera, quæ Te
Cœlituum sacris inseruere choris;
Ad quos abreptum te credimus ire, GEORGI,
Ut meritum in terris nunc Diadema feras.
Vidimus effuso violatos sanguine Reges;
Tu tamen extorres ad sua Sceptra vocas:
Clarior hinc tantò surgit tibi fama, Coronas
Quò donâsse prius quàm rapuisse fuit.

F. F. F. C. S.

TAndem igitur sacræ didicerunt parcere stirpi,
Necdum invisa minùs, nec dum minùs invida nobis
Fata, sed usque audent nostras perferre querelas
Hâc vice degeneres, consueto at crimine, Parcæ.
An vacat in solos vobis sævire Britannos?
Indultúmne orbi reliquo? seu Turca superbit
Cretensi de clade ferox, Maurúsve subactâ
Australis mundi potiori parte lacessit
Numina vestra, impune licet; potuistis utrumque,
Addo alios, Persámque truculm Scythicúmque Tyrannum
Imperio.

Imperio & vitâ ſpoliando, minore ruinâ,
Invidiâ leviore frui; par victima cunctis
Dux noſter, manéſque extinctus prægravat omnes,
Qui meruit veſtras unus tranſcendere metas;
Verùm agè ſurda cohors, & inexorabilis ordo;
Scilicet hoc Batavus velit, & mercentur Iberi
Magno, Gallorúmque audax de claſſe recenti
Ambitio, & noſtris ſuſpecta potentia terris,
Erepto, qui jura dabat ventíſque marique,
Nutu, *Galle*, tuas ſolitus terrere carinas:
Sed nec crede tuo ceſſurum, *Galle*, Monarchæ
Æquoris imperium noſtri, validúmque tridentem,
Tot tranſmiſſum atavis in noſtri Cæſaris annos;
Neſcio quid de claſſe novâ, de milite multo
Ad portus, belliſque incerto murmure fingens:
Falleris ô! neſcis noſtræ ludibria genti.
Gallia quanta parat, ſeris ridenda *Britannis*;
Supremâ, ante obitum, mediâ nocte, irrequieto,
Multa revolventi ſecum, multúmque timenti
Ancipitem rerum faciem, motúſque futuros,
Ingens viſa Duci patriæ lætantis imago,
Qualis cùm CAROLUM exciperet recreata reverſum
Adſtare, & lætas miranti effundere voces:
Nate mihi ante alios chariſſime, cura Britannûm
Æternúmque decus, Tua Te pietáſque fidéſque
Mortalem non eſſe ſinent, Tua proxima virtus
Cœleſti, aſſuetas jam dedignata catenas
Libera cognato quærit commercia cœlo.
Jam fatis ſuſpecta Tua eſt ſat cana ſenectus,
Prætervecta omnes grandævi Neſtoris annos,
Invida nempe Tuæ tandem & malè conſcia famæ;
Ætatem è palmis numerant, juſtíſque triumphis:

Supra

Supra vicenas primâ trieteride raptus,
Sæcula longa mihi vixisti, judice Fato.
Nec mirare tamen, si lecto incongrua tristi
Adsim plaudenti similis, lacrymísque fugatis,
Aspiciam placido momenta novissima vultu.
Non equidem invideo superis, Te sidera magnum
Indigetem læta expectant, gentíque beatæ
Excipiendus abis, cujus de millibus unus
Hæc mihi lugenti nimiùm tua tempora, dixit:
Magnus obit miles, nostróque inscribitur orbi,
Anglia, quem cupidè, novi, tua cura redemptum
Optaret plebis vetanæ funere multo.
Par erat ille tuis unus succurrere rebus,
Ac instaurare afflictas, cui contigit uni
Nôsse modum belli, partos sine cæde triumphos
Ducere, lassatúmque diu furialibus armis
Imperium, reduci pacatum tradere Regi:
Pacis amans, bello assuetus, pietatis utroque
Tempore non uni exemplum venerabile sæclo.
Quin propera, nec jam morienti adstare recusa,
Solare incertum, de me præsaga futuri,
Vocibus his: exhinc sua magna negotia soli
Cæsar habere sibi statuit, nec fortior alter,
Judice Te, rebúsve gerendis aptior illo.
Excipit imperium pelagi, classísque tremendæ
Proximus ille suo virtute & sanguine Regi
Hector, ubique meus miles terrâque marique.
Vana equidem non sum, video certamina longè
Hunc inter Gallúmque ingenti classe furentem,
Non impunè tamen, totas fugit ille per undas
Victus, & imperio tandem se continet uno.
Interea nec Belga meas contempserit iras,

Contrà

Contrà ausus triplici sancitam fœdere pacem,
Ecce fremit toto pelago, quærítque JACOBUS
Opdámque, Schramiúmque alios, Trompóſq; ferocès.
Tandem, Nate, Tibi quod non eſt ultima curâ,
Victrici, Duce Te, toties, lætæque cohorti
Illum Rex ſapiens ſtatuit præponere, quem Tu
Ante omnes fidum expertus, fortémque probâſti,
Imperióque parem; multo jam nomine dudum
Inſignem; meritíſque ſuis, votíſque Britannûm.
Hæc fata, in tenuem ex oculis evanuit auram.
Mox & membra Duci ſolverunt Fata, ſupremam
Exhalanti animam, ſtellas Divóſque petenti
Affines, ubi jam, cœlo plaudente, triumphat,
Æternùm noſtras meritus laſſare Camœnas.

Iſaac Craven, Coll. Trin. Soc.

OMnia, quæ nobis CAROLO jam læta recepto,
Proſperáq; advenêre Tibi, Dux, ex debita ſoli,
Tu ſolus poteras ſanare hæc vulnera dextrâ,
Magne, tuâ, & tantas regni reparare ruinas;
Diſperſit furias Tua dextera ſola rebelles,
Conſiliúmque ſagax populi compeſcuit iras;
Abſtersítque ingens quod dedecus *Anglia* toto,
Infeſtis regum ſatis, contraxerat orbe;
Tu ſolus laceram miſerando ſchiſmate gentem,
Et tria regna ſimul concordi pace ligâſti.
Tu leges nobis, divina humanáque jura,
Atque fidem, reducémque Deum cum Rege tuliſti:
Ergò, Magne Heros, poſtquam te fata tulerunt,

O dolor, & generis decus immortale Britannæ,
Te Rex, Te Proceres, plebs, miles, génſque togata
Unà omnes lugent, laudant, mirantur, adorant.

Edv. Smith Baronetti filius natu
maximus, *Coll. Magd.*

Alloquitur defunctum CONJUGEM *præ dolore moribunda* Conjux.

PArtem animæ de corde meæ mihi ſæva tuliſti
Mors: igitur rape quod ſupereſt, aut redde quod aufers.
Semianimem vixiſſe mori eſt. Heu perdere vitam
Optanti, ut moriar geminatâ morte, negâſti.
In me unâ ſimulacra locas vitæque neciſque,
Vivere dum nequeo, dum nequeóque mori.

Ergóne ſic miſeram, Conjux mea vita, maritam
Deſeris, & vivo? ſine vitâ vivere poſſum,
Aut ſine morte meo finem poſuiſſe dolori?
Heu morti vires adimit, vitæque miniſtrat
Ut mea non careat vita dolore, dolor.

Dum vitam mihi ferre paras, vitámque necémque,
Chare, rapis: vitam, quia Te, mea vita, perempto
Vita mihi mors viva; necem, quia ponere vitam
Pro Te non licuit. Pro Te profundere vitam
Vita mihi eſt; modò ſit mors mea vita Tibi.

Crudeles nimiùm Parcæ! crudelia fata!
Hoc modò ſi merui quid reſto orbata, minori

Invidiâ

Invidiâ vobis exosam animam ipse dedissem,
Et mortem mihi fata negant? haud vivimus ambo?
Quis vetat ambo mori? sine Te mihi, Chare, licebit
Vivere, non liceat, Te moriente, mori?

Lumina lethali visuri solis in umbra
Ite, Oculi, in tenebras lethi caligine septas.
Neu gelidâ trepidate nigræ formidine mortis:
Quid magis exanimat, gravior quis terror, amato
Protrahere ingratam quàm sine sole diem.

Ite, Oculi, in tenebras; aut si mors surda negârit,
Vos mihi claudat Amor, placidáque in morte quiescant.
Tristem mî nemo lessum neu funera faxit,
Neu tumulum, tumulo mœstum neu scalpito carmen.
Fortunata, meum si propè condar herum!

Sed quid ego invitam votis accersere mortem
Conor adhuc? miseram si post tua funera vitam
Fata trahant; vivam ut moriar, viduata dolebo,
Dum nostris ferat ipsa malis mors sera medelam.
Vivam nè vivam. Quòd si tamen ulla dolenti
Vita superstes erit, vita doloris erit.

F. P. Trin. Coll.

Aliud.

FAta subis? Morior. Sed sensu pressa doloris
Me tamen, heu, vitam ducere corda probant.

Vivimus an moriamur ô vivæ an spectacula mortis
Nec satis exanimis, nec bene viva gero!

Idem.

In Cathedram, quâ illustrissimus Dux ALBEMARLENSIS *expiravit.*

DUm Cathedram, quæ ex (Draco) tuâ fabricata carinâ,
Jactitat *Oxonia* Bibliotheca suam,
Cedat huic tamen: illa satis quo plaudat, habebit,
Hâc unâ Cathedrâ dum minor esse potest.
Sellula si sacra est, parvum hunc quod viserat orbem,
Sellula quam sacra est, quæ dedit astra Duci!

Idem.

FElices florete diu lætósque Tyrannos
Dum videt, & CAROLUM quærit in orbe suo;
Territa tot monstris hominum stupefacta labavit
Relligio, & nullos credidit esse Deos.
At tua sacrilegos contrà dum, Dive, furores
Dextera pro nostro Cæsare sancta stetit,
Asseruit possessa malis pallatia larvis;
Dextra eadem Regem reddidit, atque Deum.
Quàm meritò in cœlis regnum sibi vendicat Heros,
Qui Regem nobis reddidit, atque Deum.

Guil. Burrell, T. C.

Engo

THRENODIA.

ERgóne sic etiam vallum in sua fata minaci
Corripiet nostram mors inopina manu?
Et nos ut vites viduatos deseret? ut sint
Pro vino lacrymæ funeris exequiæ?
Proh dolor! *Ech.* O dolor! at quænam hæc? ironica mortis
Vox est? commœrens vel tua Nais? *Ech.* ais:
Quid ploras? Ech. Oras? lucósne hæc funera tangunt?
Ech. Angunt, & dolor hic te quoque lædit? *Ech.* edit.
Ergò agè & umbrosum repetas, pia Nympha, recessum,
Mœstitiæque tuæ sit Philomela comes,
Utque nova hæc tacitas fecerunt gaudia Sphæras,
Sic *grande ingenium* huic vel *dolor* ipse dabit.
Néve adeo in terris Monachum ploremus, alandæ
Instar at ascensu dulcior esto sonus;
Utque olim Æneam Veneris duxêre columbæ;
Sic Mars [a] ductores hic habuitque suos
Regales ambos. Spes ergò restet, hiantem
Orbem sol linquat, sed manet inde color
Purpureus, noster sic *murus aheneus* etsi
Rumpitur, ex venis *aureus alter* adest.
Qui Patris ut Phœnix enatus odore, relictis
Sic patris in radiis pullulet ille diu.

Edm. Walthew, Aul. Clar.

[a] Carolum sci. & Mariam defunct.

FAta suprema videns Sponsi generosa Ducissa,
Has puto cum gemitu fudit ab ore preces;
Ah hydrops! utinam *vel me quoque ponus haberet*;
Sic dixit; lacrymis obruiturque suis;
Diluvióque novo fit manca humana propago;
Fluctibus & tantis naufraga terra perit.

Rob. Vinter, Aul. Clar.

CUm Dux stupenda passus erat, & fecerat
Et nomen ingens comparaverat sibi:
Honore, pace, prole & inclytâ satur,
Pietate celebris, & triumphi gloriâ:
Ferale telum Mors vibraverat diu
Quo feriat hominem; post frequentes machinas,
Diuturnæ & obsidionis extremas vias,
Vitale castrum denuò invadit viri
Magni & potentis, quod vi & armis diruit.
Dolendus omnibús que flendus occidit,
At maximè Illi, qui recognovit Patrem
Patriæ, & suum: cecidit dolendus militi,
Sine lacrymis tamen; mori hi citiùs queant.
Lacerant togas Musarum alumni pro Duce,
Qui fecit otia studiis: Granta at magis
Luget Senatorem inclytum, qui calculis
Electus hîc, elegit & Grantam suam.
Medicos peritos cura jam exercet gravis,
Quis morbus ausus fuerat Heroa aggredi.
Dum volvitur tam curiosa quæstio,
Rex fortean (qui physicas causas amat
Semperque amavit proximùm Duci suo)
Aderat: Viro (inquit) Hùic vigor tantus fuit,
Nunquam per hydropem ut perisse existimem;
Latere causam aliquam profundiùs puto,
Fortissimum hoc pectus mihi quòd usque patuit
Telis amoris solius penetrabile,
(Rex quippe noverat intùs ac in cute Ducem)
Apertius vobis adhuc fiet velim:
Facilisque fidénsque auguror, videbitis
Quod singulare magísque mirum est quàm solet.

Divinitùs

Divinitùs parent monenti: nec quidem
Regem fefellit exitus: viſu omnia
Miranda ſunt in hoc Duce: ut renes, jecur,
Pulmo, cerebrum, ſana ſunt hæc ſingula,
Fortiſſimo digna & viro; digna & Duce.
In cordis arcem denuò peritiùs
Rimantur: at at! ingens ſuperfœtatio
Accreſcit intimo cavamini, (nefas)
Surſúmque tendit, & integrum à cono occupat
Dilatius ſolito, ubi ſacrum gaudium
Huic ampliorem jam diaſtolen dedit:
Clauſítque nobile oſtium cordis pii;
Natale dum feſtum patulcas cæteris
Fores ſuas dedit. Fremunt Fanatici
Carnale cor & indè jactitant Ducis,
Quia prodidit cauſam bonam: ecce hunc (inquiunt)
Male feriatum hominem, Deóque percitum,
Ut in his obit, quos intulit feſtos Dies!
O judices lævi! & ſiniſtri aruſpices
Cordis laborantes boni penuriâ!
Cordatus optimè (ſciatis) Dux erat,
Qui nè quid aleret intus in animo doli,
Cavitate cordis caſſus eſt, fraude & malâ.
Dum fauſta comprecatur hic Anni novi
Regi ſuo, toti Reíque publicæ,
Animam Deo efflavit quaſi ſtrenam ſacram.

T. Fuller, Coll. Jeſu, S.

In

In Ducem ALBÆMARLÆ, *Epicedium.*

HInc elegi tenues; & quidquid funera Musæ
Degeneris cantu solet incestare, facessat;
Nil opus est humili lacrymas excire querelâ,
Indecores lacrymas, modici solatia luctûs,
Queîs fermè scelus augustos aspergere manes.
Invadens animum gravior jubet impetus, illo
Arduus incedam pede, quo decurritur Hector
Cæsus, & invictus bustum conscendit Achilles;
Major enim celebrandus adest, ut verior, Heros.
Ille super quondam licuit quod fingere veiè
Magnus, & antiqui commentis grandibus ævi
Conciliare fidem (minus est, inferre pudorem,
Invidiámque movere) potis: cui tota merenti
Nobilior claris & certis Ilias actis
Turgeat; Iliadem nuce jam complectimur illam.
Non Divos oriens, aut Reges ille parentes,
Vel Proceres jactat, titulóve obtendit inertes;
In laudem fortuna viri (se intrudere vanâ
Quæ specie solet, & famæ decerpere florem)
Nulla venit; solidâ virtus radice suâque
Nixa stetit; de se pronascens gloria purè
Emicuit, nimio nec avorum sanguine tincta.
Nec de sorde tamen, rudis aut è fæce popelli,
Rectiùs à media sed crevit origine; lucis
Ut nil abriperet sors, nil affunderet ipsi,
Propriáque excoleret vacuum solertia campum.
Crediderim tamen occulto quòd semine, venâ
Et tacitè lapsâ per stirpis devia, priscos
Attigit Heröas, quos transfit indole summâ;

Indole,

Indole, quæ primis Martem ſpiravit ab annis;
Abſentémque procul cupido trans æquora voto
Quæſivit; populoſa ubi deſes ad oſtia Rheni
Centum edormierat, vel centum eluſerat annos,
Sortes alternans ſuſpenſo fine, capaces
Erudiénſque animos generoſa in lege nocendi.
Is ſimul ac juvenem pulchrâ feritate calentem
Aſpicit, ambabus depreſſum complicat ulnis,
Et blando, præter morem, ſic excipit ore:
Gratus ades, ſi venturi modò vocibus ævi
Credetur quicquam, natu mihi maximus, acrem.
Protinus arripies qui toto corde Gradivum,
Evadéſque meæ conſummatiſſimus artis,
A me deſumes ampliſſima præmia laudis;
In me ſed potiora refundes honore grato.
Magna geres pugnaci manu, majora ſagaci
Perficies animo, vi præpollentior utrâ
Ambiguum; terras ſimul illuſtrabis & undas.
Virtute amphibiâ, ſe res fundente per omnes,
Res utcunque geres, quò verſe cunque teipſum,
Indivulſa tuæ hærebit victoria dextræ;
Vana nec hæc ſterilíſque, & tantùm clade nocivâ
Inclyta, ſed validos præbens mortalibus uſus.
Scilicet inſtauranda tuis decernitur armis
Regnorum collapſa ſalus; depelletiniquæ
Vis ferale jugum à patriæ cervice minacis.
Nominis aura; manus tumidos exerta rebelles
Comprimet; exangui ſubiges horrore feroces.
Bellator facilis, victórque innoxius hoſtes,
Infidioſa dabunt pietas, & pelle decorâ
Larvatum ſcelus, obdu&æque putamine ſancto
Immanes furiæ, & cæci ludibria zeli.

Terga

Terga Tibi, frontis quantùm diversa severæ!
Orbe chaos patrio demes, constante reponens
Res in sede vagas, & certo fine coërcens;
Harmoniam suavem renovans, & lumen amœnum;
Verticibus meritis aptans diademata, mitras,
Pileáque, insano nequicquam excussa tumultu.
Succumbet monstrum Tibi (de quo rara subacto
Vis jactet, paucique Duces egêre triumphum;
Nullius edomitum felicibus Herculis ausis)
Ambitus, immodicos dum frustrà obtrudit honores:
En quam blanda Tibi pellex exporriget offam,
Ut Tibi captivam se dedet summa potestas!
Haud sine tam valido fati molimine nullis
Illecebris virtus poterit vitianda probari;
Aut constare Tui quantum sit pondus honesti.
Nempe Tuas ambire, suis elapsa pudendè,
Ausa manus, turpem patientur sceptra repulsam:
Indignor, dices; & cor injuria pungit
Vestra meum; quasi non mihi cura potissima recti
Insideat, malímque potens quàm justus haberi;
Objicitis temerè regni culpabilis umbram;
Mente bonâ regnum non est augustius ullum.
Nec magìs, ut justè possem, regnare juvaret,
Quàm Carolo parere juvat; quem fata requirunt,
Fecit ad imperium virtus; cui sponte luberet
Ad me jure bono delatos tradere fasces;
Hâc vice sufficiet speciem mihi sumere Regis;
Ocyùs ite, volo, rectámque capessite dextram;
Morem sceptra gerent, sanctis obnoxia jussis.
Talis eris, qualem certè labentia mundo
Hactenus abnuerant ostendere secula, miles.
Reddere vim juri, profugásque reducere leges;

Fásque

Fasque fidémque (quid hæc memoro?) Regémq; Deúmque
Longo subtrahere exilio; pallatia Regi,
Templa Deo, vacuas utriq; recludere sedes;
Consociare decus cum Religione; beatum
Par majestatem, libertatémque tueri;
Propugnare (nec hæc in grandi laudis acervo
Infima laus jacet) infenso quas impetet ungue
Vecors turba, arcto mihi (quanquam abludere vultu,
Et studiis distare videmur) fœdere nexas,
Summum in stirpe Jovem, & sacro cœlum ore ferentes,
Dulces Pieridas; magnóque umbone togatum
Protegere omne genus (genus haud benefacta referre
Immemor; & linguâ natum prodesse canorâ
Fortibus, egregiisque arcens oblivia gestis)
Barbariem dominam frodido detrudere regno,
Júsque bonas revocare artes impunè sciendi;
Bellum debellare ipsum, Martémque fugare
(Hei mihi) Marte tuo, translato milite justum
In civem, & pacis firmatâ lege perenni;
Militiæ sunt ista tuæ; sic arma sacrabis,
Infamíque operæ nomen præstabis honestum;
Sic fata absolves, suspectáque criminis astra:
Scilicet inferior nedum te sentiet orbis
Patronum; de se cœlum meruisse, redemptum
Horribili opprobrio tetræque aspergine labis,
Quod fateatur erit; Superûm tibi debitor omnis,
Nequitiæ cristas tollenti applaudere visus,
Cœtus erit, quo tandem auctore putabitur insons.
Mars ego præsertim (qui tot fanaticus annos
Audierim, scelerum fidissimus ultor acerbè
Dum jocor, atque tuæ studeo præludere famæ
Acriùs, aspirare nefandis creditus ausis)

Per te non malus, aut indignus amoris habebor.
Talibus excepit generosum magnus alumnum
Bellipotens; plura adnisum præsagus Apollo
Destituit; reducis vel cùm miracula Regis
Prospiceret, curæ satur ignotare futuros,
Ad se quippe minùs spectantes, maluit annos.
At tunc Herôi pars defuit optima vitæ,
Uberior laudis maturæ campus, ab illo
Tempore visus erat, nè quid supereſſet ab ipso
Iuvictum, sese ac actus superare priores,
Inque dies auctâ magis inclarescere famâ:
Si modò conservare diu quàm tradere regnum,
Continuò vigilem intentâ defendere curâ
Pacem, quàm fundare semel, cohibere latentes,
Quàm patulos hostes prosternere majus haberi,
Utiliúsque decet. Si non turgescere magnis
Inflatum titulis, meriti nec pondere tanto,
Aut famæ esse gravem, sibi non assumere quicquam
Immodicum, reliquis abductum civibus, aeres
Blanditias propriæ quasi non attendere sortis,
At medios inter plausus, mediósque triumphos,
Clamores faustos populi, pronósque favores
(Hâc saltem vice non fictos) venerabilis Aulæ,
Affectu surdo versari, animóque modesto,
Jure super cunctas effulget nobile palmas.
Si nihil affectare novum, nec ritè locatas
Res turbare, ægrum vanâ ambitione, malignâ
Afflatum invidiâ, stolidâve cupidine raptum,
Sed trahere innocuam per amica silentia vitam,
Nullam porrigere ambiguis rumoribus ansam,
Nullo rem populi strepitu tractare, suámve,
Si non addictum aut infensum partibus ullis

Vel

Vel captare leves auras, vel inania rixæ
Semina projicere; aut cæcos proponere fines,
Aut iter obliquum funeſtæ inſiſtere fraudis;
Aſt indeflexo communem lumine pacem
Aſpectare, fidémque ſuam, & Regnantis honorem;
Sit, penè ultra quàm valeat laus ſcandere, celſum.
Si mentem retinere domi, nec tradere fluxæ
Prodendam linguæ; non oſtentare loquendo
Ingenium incertum, ſed certum oſtendere agendo;
Non quantum ſapit infidis edicere verbis,
At validâ præſtare operâ, eventúque docere;
Cùm nil non valeat, cùm pervigil omnia curet,
Poſſe parùm tamen, & pauciſſima nôſſe videri;
Quærere non ſpeciem, ſed rem; ſint optima magni
Signa viri, ſupra culmen vulgare levati.
Si non privatum è communi radere cenſum,
Exhauſtis venis populi, aut è paupere fiſco
Surreptis opibus; quæſtûs à ſorde nefandi
At puras ſervare manus, famámque pudicam;
Tutari ſed enim excelſæ ſtationis honorem
Fruge bonâ, luxúque excluſo augere penates
(O utinam exemplo profit magnatibus illo;
Ut quo nobilitas tenebris offuſa refulſit,
Illo nobilium quoque res auctore reſurgat)
Quin pretio, quum res viſa eſt depoſcere, nullo
Se præſtare Ducem, gratiſque impendere vitam
Civibus, & tantùm ſe compenſare merendo;
Iſta queant juſtæ cumulum diſtendere laudis.
Hæc ego; ſuſpiciant alii victore tremendum
Enſe, manúque alacri torquentem fulmina belli;
Nil non audentem ratio quod honeſta juberet,
Impavidóque tuentem extrema pericula vultu;

Flectentem densas legiones voce peritâ,
Et magnas classes clavo prudente regentem;
Multiplices alto gestantem vertice lauros,
Dispensantem sceptra, & regnis fata locantem:
Me virtus juvat hæc, quæ non tam luce coruscâ,
Quàm solidâ placidâq; micat, nimiúmque stuporem
Temperat, illecebras admiscens dulcis amoris:
Me pudor ille, tegens animosi pectoris æstum,
In bellace viro studium durabile pacis;
In Duce, quo summum imperium non alter obire
Aptior, obsequium deferre parata voluntas;
Mens refugi fluctûs variis in casibus expers,
Proposito fideique affixa tenaciter; altâ
Cum gravitate rigor nullus, fastúsve; potentis
Vix sensus meriti, clamor nullus; tenor æquus
Vitæ; limitibus modicis inclusa cupido;
Quicquid & his arcto comitatu dotibus hæret,
Afficiunt imas flammâ penetrante medullas.
Ex his evasit laus mundi consona, certus
Incerti populi favor, unus celsior omni
Invidiâ, jactu assiduo quæ summa lacessit.
Nempe quis est adeò nequam dementer, ut illum
Oderit, auspice quo nobis vis tanta bonorum
Incubuit; per quem nos pulsa revisit opima
Pax, nostrósque lares per tot nunc incolit annos,
Quo munita salus nunquam est sibi nostra timere
Visa; sed hostiles semper res Anglica tempsit
Assultus, tanto custode & vindice tuta?
Ergò immortalem faciebant publica vota,
Quantùm vota valent; fatóque exemptus agebat,
Quantùm fata sinunt: at nullis numina surda
Auscultant votis, meritorum excordibus illis

Nullus

Nullus ineſt ſenſus; ſævè diſcrimine nullo
Omnibus inſultant; poſtquam, à ſe prodita, fœdè
Gens humana gravi dedit è certamine terga,
Lege ratum ſtat eis immotâ, parcere nulli.
Hinc jacet, ecquis eum credat potuiſſe jacere,
Qui nos ſtare dedit? per quem res noſtra revixit,
Ipſe obijt, fato communi ſubditus. Eheu,
Quid facimus? quàm non in dignum pectore toto
Sufficimus luctum? quàm nobis ſpiritus ægrè,
Si quis eo nobis manet expirante miſellis
Spiritus, in tantum ſuſpiria debita caſum
Suppeditat? vires excedit cauſa dolendi;
Officio minor eſt, & non ſolvendo dolorem
Anglia tota; ſuum niſi quòd Rex optimus ultrò
Impendit, magnæ qui ſolus congruit umbræ,
Noſtris magnificum pondus mœroribus addens.
O quàm te decet hæc, quantúmq; repoſcit amorem
Inſignis pietas & pluſquam Regia! multis,
Per jugem illuſtris vitæ diffuſa tenorem,
Eluxit bonitas ingens tua, CAROLE, ſignis,
Quot nemo vel quanta poteſt obtendere Regum.
Vix tamen hoc ullum divini pectoris extat
Clarius indicium. Quò te fidentiùs ipſo
Nitemur poſthac, quanquam ſic lumine dextro,
Atque manu dextrâ videare orbatus; oportet,
Eſt qui virtutem tanto complexus amore,
Proſequitur meritum tanti mercede doloris,
Nullius is meriti ſit, vel virtutis egenus;
Quid ſolus valeas hinc conſtat; quódque ſuperſtant
In te jam CAROLUS ſimul atque GROTIUS uno.
At tu præclari defuncte laboribus ævi,
Æterni in gremio decumbe quietus honoris.

Non

Non tibi de Pariis consurgat rupibus agger;
Néve tui Cyprio custodia nominis æri
Mandetur; neu te memorandum pagina sumat
Docta; nec audates (debet vestigia vitæ
Heroum queis turba minor) tua gesta Camœnæ
Contemerent; immortalis tua gloria summo
Certiùs immotas radices inserit ævo:
Sacra tuæ famæ tria stant ingentia regna,
Auspiciis erecta tuis; quot templa, quot ædes,
Tot monumenta tuæ virtuti extructa supersunt.

HOc segni quantum dictavit cunque poëtæ
Musa quidem nulla, at Gratia multa melos.
Si nimius videar, culpam non deprecor; ipse
Cùm videar justo parcior esse mihi.
Musa jocosa fuit multis (Musam esse jocosam
Nil vetat, at longis non licet esse jocis)
At mihi, siqua fuit, spatiis diffusior æquo
Jure fuit, quoniam seria Musa fuit.
Scilicet affectum pleno torrente ruentem
Sistere vix nostræ, crede, fuisset opis;
Officii nec erat, meritis cùm congrua tantis
Nulla queat reddi pagina larga satis;
Nec, post insumptum scribendi plura laborem,
Non adscribendum *multa deesse* foret.
Publica nè repetam, nimiùm quæ vasta supremi
Nobis porrexit numinis Ille manus;
Multa obvenerunt privatæ commoda vitæ,
Quæ par est magno sumpta referre Duci:
Quòd sub jucundæ requievi tegmine pacis,
Vita quòd à Tragicis est procul acta malis;

Quòd

THRENODIA.

Quòd placitis ſtudiis, literíſque inſontibus ampla
Otia (nè dicam præmia) contigerint;
Turpibus ejectis Dominis, vanóque furore,
Se purâ qui pro relligione tulit,
Quòd licet obſequium Regi deferre benigno,
Et vero cultum verum adhibere Deo:
Hæc ego tanta Boni forti, prudente, probâque
Obtinuíque operâ poſſideóque Ducis.
Huic igitur grates dum fundere conor, ineptus
Eſſe queo, longus vix (reor) eſſe queo;
Sin videar, veniam extremæ non abnue culpæ,
Quiſquis eris (ſi quis) qui legis iſta, precor:
(Huic veniam culpæ facile eſt concedere; pœnam
Scribendo ſcriptor quum ſatìs ipſe luat)
Non erit, ut poſthac patientia veſtra laboret,
Nec mea charta ſuâ tædia fronte geret;
Luſibus his penitus vel penè renuncio; quicquid
Nitar abhinc, nullum vel breve carmen erit:
Muſas, Magne, meas ſine (veſtrâ laude ſubactas)
Appendi tumulo, parva trophæa, tuo.

Iſaac Barrow, Trin. Coll. Soc.

Κλαίετε τὸν ΜΟΝΑΧΟΝ μεγαλήτορα, κλαίετε Μοῦσαι,
Θυμολέοντ', ἀπόλαιντον Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ·
Ὃς ῥέα δυσμενέων ἀνδρῶν ἔρρηξε φάλαγγας
Μουνάξ, εἴτ' ἄρ' Ἴβηρες ἔσαν τοίγ', εἴτε Βαταυοί·
Ὃς πολυκοιρανίης λυσσώδεα δῆμον ἔπαυσεν,
Ἠδὲ μοναρχομάχων ἀνδρῶν ἁλίωσε μενοινάς
Μουνάξ, τῷδε βίτυ ὀλέσας, καὶ κέρδεα λυγρά·

Πλαγτῶν

Πλαγκτῶν δ', ὅσσοι τε φρένας ἐκπεπαταγμένοι ἄνδρες
Ἔνθεον ἐν στήθεσσιν ἔχειν νόον αἰὲν ἔφαντο,
Τῶν τ' ἔρραισε μένος, στυγεράς τ' ἐδάμασσεν ἐριννῦς
Μυνάξ, οἱ δ' ἀεσιφροσύνης παύσαντ' ἀλεγεινῆς.
Τοὺς δ' ὀχλοκρατέοντας ἀλάστορας, ἄχθεα γαίης,
Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκεν,
Ἔσχεν ἀτασθαλίης, καὶ ἀνήγαγε τὸν Βασιλῆα,
Αὖτε δ' ἐπὶ θρόνῳ εἷσε, πάλιν δ' οἱ σκῆπτρον ἔδωκε
Μυνάξ, οὐδέ τις οἱ τοιῶνδ' ἐπιτάρροθος ἔργων
Ἔπλετο· τῷ ῥα δίκῃ ΜΟΝΑΧΟΣ κεκλημένος εἴη,
Εὖ θ' οἱ ἔχοι ἑὸν οὔνομ', ἐπεὶ τάδε μοῦνος ἔρεξε
Ζωὸς ἐών· νῦν δ' αὖ θάνατος καὶ μοῖρα κιχάνει.
Ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τέθνηκεν, ὃς ἄσπετον ἕρμα πόληος,
Καὶ μοῦνος μέγα κῦδος ἔην, ἕρκος τε Βρεταννῶν,
Κλαίετε τὸν ΜΟΝΑΧΟΝ μεγαλήτορα, κλαίετε Μοῦσαι.

In Nobilissimam Heroinam Illustrissimi DUCIS *Uxorem, unà cum Marito ægrotantem, & non ultra tres Septimanas Ei superstitem.*

FAta sua, & Domini præsensit languida Conjux,
Visa Virago suo commoritura Viro.
Stat tecum mihi, Chare, mori: Tibi ut ipsa superstes
Sim misera? Exequias ibo, sed Umbra, Tuas.
Ocyùs hinc propero, (quid adhuc sub luce morarer?)
Indocilis vitam (Te moriente) pati.
Armorum hanc didici Tanto sub Milite legem:
Vitâ & morte meum nam sequar ipsa *Ducem*.
Talia, credo, sui voluit cùm *Portia Bruti*
Fata sequi, moriens ultima dicta dedit.

Edidit

Edidit & tales noſtra Heroïna loquelas;
Nec lethi cupiens *Portia* noſtra minus.
Haud certè *ardentes avida bibit ore favillas*,
(Sed nec ei Conjux Cæſaris hoſtis erat)
Mortem avidè tamen & venientem prona recepit,
Tam charo Capiti quâ citò facta comes.
At neque lugubris Solennia cernere Pompæ
Suſtinuit, *Georgî* aut Funera tanta ſui.
Anticipans ergo hæc Spectacula mœſta, Triumphos,
Denique nec tolerans, trux Libitina, tuos,
Tempeſtivè obiit, Magni poſt fata Mariti
Cùm vix vicenos viderat ægra dies.

Tu verò, ô *ſimili frondeſcas virga metallo*
Dux juvenis, ſtirpe hâc macte & Iule tuâ.
Nec nimiùm doleas, licèt orbus utroque Parente,
Nempe utriuſque tibi CAROLUS inſtar erit.

Epilogus ad Regem Apologeticus.

COnflictata diu eſt lethali Academia morbo,
Abſtulit Illuſtrem cùm mala Parca Ducem:
Senſerat infelix tanti præludia fati,
Tum quaſi Patrono commoritura ſuo.
Necdum convaluit germinato vulnere Mater,
Et morbo ſimul & funere preſſa gravi.
Ignoſcas ergò, petimus, ſi divite venâ
Nec fluit, & genium non habet iſte Liber.
Ægra manus calamum regit, & penus arida Vatum,
Et repit tardo languida Muſa pede.

Fr. Duport, Acad. Procan.

IF ever Mortal could command
Stern Fates their own laws to withſtand,
And to three Realms a Reſurrection give
Which they had buried alive:
Great Albemarle was that ſtrange He;
In whom high Valour, and deep Policie
Agreed to dwell,
Yet ſtill contended which ſhould moſt excell.
Tell not me of Philips Son,
Whoſe Captains help'd his Conqueſts on:
Give me a Man
[If Stories can]
Who to himſelf was All,
Arms, Money, Army, Generall.
He whoſe unfeigned Legend may
Tempt future Faith ſo far aſtray
As to imbrace for true the fancies
Of moſt extravagant Romances.
Let Julius vapour that he Came
And Saw, and Overcame:
Our Generall did more,
Who ſent his Victories before,
And Conqueror was when yet no eye
Diſcover'd him an Enemy.
Never ſuch Mines as his, who though,
A kingdom off, yet up could blow
His unperceiving foes, and ſnarl them in
Their own deſerved gin.
How ſtood he like a Looker on,
When the main Game was his alone;
In which he ſhun'd, what others wiſh'd, the luck
To rob the Common Stock.

How

How in a ſeeming
Regardleſs dreaming,
With more than Lynceus eye
Pierc'd He the Rebel Saints Hypocriſie!
In what Reſerv'dneſs did He ſtand immured
And ſecured!
Perhaps the onely He among
True hearts, who proſperouſly
Contrived how to be
A Cavalier in all things but his Toung.
He's ours, this Faction cry'd; He's ours, cry'd that:
Fools, ſo He was; but not
As you ſurmis'd: 'twas his Deſign to free
You all from your mad Miſerie.
How did He make it his brave play
To hold proud Oliver *at bay!*
To ſtemm his Craft with wiſer Art,
And make him gnaw his fooled heart!
By yielding, how did he ſubdue his States;
And London *ſave by firing of her gates!*
Now plain Charles Stuart *gan to be*
The Kings moſt excellent Majeſtie:
Now Loyalty was grown
Good Senſe, and went right glibly down:
Now Covenanters and Ingagers ſtared
To find themſelves in Honeſty inſnared.
His Soveraigns way thus having paved
With hearts of Friends and Foes,
And ſaved
Unwitting thoſe
Who many years had buſie'n
Hammering their own Ruine hi'm;

The matchless Patriot *to his Throne*
Through thousand triumphs brings the Martyrs Son.
Nor did one drop of blood besmear
This mighty Fact: O no! his studies were
His brows to raise
With pure unbloody bayes:
And therefore He
Chose his Brains Artillerie,
More happily considering in
His Counsels Magazeen.
Yet when his Masters Honour, and
His Countries Cause call'd for his Hand,
The roughest Dangers stop'd him not
From tearing boistrous Seas and Fleets in sunder;
Nor will it ere'e in Holland *be forgot*
That GEORGE *could thunder.*

A. C. of S. P. Coll.

I

As when some storm its violence displays,
The angry and enraged Seas
Here open an abysse, and there a mountain raise,
The trembling Mariner abandon'd sits
And in despair the rudder quits;
If some kind Star to his relief appears
And smooths the Oceans rougher face,
His care does vanish with his passionate fears
And glad security reviveth in their place;

The

The Seas are hush't, and we may see,
In his becalmed look the same Serenity.
So we (Great GEORGE) for Thee did lately fear
More then a Mariner half-shipwrackt does;
Like tender Mother that with panting care
Over her sickly infant stays,
We watch't the Critical event of thy disease,
In pangs of fear still ask't the fatal news;
When to a well dissembled cure of thine
We did our fears and griefs resign.
We thought the dropsy did relent,
And had its Magazine of mischiefs spent.
Arm'd with the rigours of a Scythian cold
Lo! from its snowy cave,
A new resistless stream it reul'd
Great Albemarle's illustrious life to Brave.

2

Impure disease! What can't it then suffice
With all thy watry terrours to pursue
The drunken and luxurious crew,
But thou must vex the virtuous and the wise?
Go wreake thy rage upon
Their crudities & indigestion:
Great Monk's severe and stricter temperance
No softer luxury surpriz'd,
Unbroken by the least extravagance;
The easy fruits of Nature him suffic'd.
He for his Country spil't more blood, then others wine;
Whilst with its noble brine
Endeavouring to repay that vital juice,
Into its emptied sluce,
The German Ocean would it self transfuse.

Had'st

Had'ſt thou, O Sea, within thy watry arms
Embrac'd ſome ſinking villages, or toſs't
An Aromatick ſhipwreck on our coaſt,
We to thy rage had pardon'd all thoſe harms;
But this ſmall water-breach we more bemoan,
Then all the Oceans inundation:
Whilſt in our tears we now confeſs
The Cargo of the East, *then* MONK, *we valu'd leſs.*

3

'Twas then when gaſping Loyalty began
Her faith and hopes to caſt away;
Having beſought the Gods in vain
Deſpairing now no longer She would pray.
She thought no miracle was great enough
To reſcue England *from its pains,*
But would its fetters (though ſo rough)
Bind faſter on with voluntary chains.
We did no longer now our Stars impeach;
Contented to our Deſtiny did bow,
Seeing our ſelves thrown down ſo low;
Jove nor with thunder nor with mercy could us reach.
In vain the Church *did at its Altars ſtay,*
Its Altars which neglected lay.
The nation (which its ſov'raign did expect
Impatient, as the Jewiſh Sect
Do for their Loytering Meſſiah *ſtay)*
Its tyr'd belief now down did lay,
And languiſhing their ſorrows only to the Thames *did ſay.*

4

When from the North GEORGE *makes his ſilent way;*
With doubtful march 'twixt triumph and defeat

He

He came to ruine or to raiſe our fate;
His great deſign in his brave breaſt concealed lay,
Like gold that never ſaw the day,
But in the boſom of its native o're aſleep
To its perfection does unperceiv'd creep.
The doubtful world could not his purpoſe gueſs,
Which his ambiguous look did ne're confeſs.
Their Deſtiny and fall was far
More legible in every Star,
Then in his cloſer and myſterious face.
The traitours and the good did fear by turn,
And in ſucceſſive paſſions freez and burn.
Sometimes the Loyal thought they ſaw ariſe
Their dawning happineſs in his great eyes.
When He at laſt convinc't our fears
And plac't Great CHARLES *upon his throne again;*
No bloud our Calendar did ſtain,
And we wept none but joyful tears.

5.

It was his miracle alone
That powerfully wrought upon
Our Rebel Chaos *and confuſion.*
So the omnipotent o're the firſt matter ſtood
And on its infant impotence did brood:
With formes its nakedneſs he did array,
That then in natures quarry undiſtinguiſh't lay.
The liquid gold of the firſt Element
Towards the Centre went;
Below he hurl'd
The groſs and ſluggiſh parts down to the nether world.

Great

Great Gen'ral! *What ſecret Maze,*
What ſudden ſprings of action were thine;
Which through theſe ſilent and untrodden ways,
Such ſtrange Meanders, led thy great deſign?
As if thou ſtrov'ſt to imitate
Th' inimitable artifice of Fate,
And didſt our happineſs advance
In the unerring ways of providence:
As if thou knew'ſt the ſecret how the world
By his almighty wiſdom's rul'd,
As if he laid thoſe cares aſide, he muſt
The Univerſe to Thee alone betruſt.

6

'Twas this that Cromwel *ſaw; by Thee alone*
His race ſhould tumble down
From that proud height of uſurpation.
In Scotland *and unarm'd, alone*
Thou mad'ſt him tremble on his throne.
In vain with threats and power he ſtrove
Thy great and fixed Mind to move;
In vain he did apply
Unprofitable charms and flattery.
Thy unperceived Loyalty did move
As ſilent as the Sun above,
Which none ſees move, but ſay that it ha's roul'd.
Like Brutus, *thou wer't fixt, but not ſo raſhly wiſe;*
Invincible both by his ſteel and gold
Thou didſt the Tyrants rage and flatteries deſpiſe.

7

A life ſo full of glories and Divine
Did now at laſt to its long end decline.

To

THRENODIA.

To Death thou didſt as glorious yield
As overpowred Captains in a field.
Thou ſat'ſt in thy Triumphant ſeat
And death didſt ſolemnly attend:
Thou didſt like Judge not ſuff'rer ſtand,
And her approaches there undaunted meet.
Such didſt Thou ſeem, when after ſome diſpute
The Captive Dutch *hung at thy Conquering ſtern.*
Such was thy look, when at thy foot
Their ſinking pride beneath Thou didſt diſcern.
Methinks I ſee how Death in this approach
With trembling reverence drew near,
Suſpecting She did here encroach,
And ſeem'd as if She fear'd Thee more, then Thou didſt her.
Thou that wer't wont her terrours to behold
In mouths of Cannons and in flame,
Wer't ſcarce concern'd when in a dropſie clad
An humble ſuppliant to Thee ſhe came,
And with ſubmiſsive awfulneſs took hold,
By intervalls, of thy great heart and head.
Thy great Heröick ſoul did never fear
The diſmal luxury of war;
And in this private fight, as heretofore,
Even dying thou didſt ſeem as great a Conquerour.

Hen. Goſtling, *A. M.* Fellow of *C. C. C.*

When Henrietta *paſſed by,*
In Triumph, through the Arches of the ſky,
CHARLES *the* Saint *embraced her;*

(*A royal Diadem was on his head,*
Such as in heaven the Martyrs use to wear;)
And thus the royal Martyr said:
"*My dear Consort, come away,*
"*To the golden Palaces,*
"*Of Joy, and Love, and peace,*
"*To the entertains of this thy Coronation day;*
"*No more the rage of Tyranny*
"*Shall ever injure thee,*
"*Nor any treason; all things here*
"*Sweet, as thy own Beauties, are;*
"Strafford, *and* Laud, *shall on thy Court attend,*
"*And (after a short while)*
"Great Albemarle; *then whom, the British Isle*
"*Has not a more Heroick Friend:*
'Tis come to pass, Great Albemarle *must go;*
While for him we mourn below,
A joyful shout all Heaven fills,
Unto the utmost bound of the Everlasting hills;
The mighty Angels meet
To welcome him, and the admiring Saints,
Some with a song, some with a dance,
His happy presence greet:
But chiefly, to their fellow Minister,
Our Guardian Angels fly with nimble wings,
Arts of War and peace to hear,
(*Strange, miraculous things;*)
And fain they would from him instructed be,
How to defend their charge, the British Monarchy.

Sa. Howlet, St *Joh. Coll.* Fellow.

What

THRENODIA.

1

WHat e're (Great Sir) to Thee we pay
Leſs then the honour of that Day,
Which, as it purchaſed to Thee
Immortal Fame and memorie,
Did with new Life our drooping ſouls inſpire,
Seeing ſuch fatal Enemies retire,
As Rage, Ambition, and prepoſterous zeal,
Plagues and Diſeaſes of a Common-weal:
Would be unworthy thy exalted Name;
And leſſer Virtues but eclipſe thy Fame.

2

When we alaſs! ſo long had been
Darkneſs without, and Death within,
That Deſperation now was grown
Adviſer and Companion;
When a black Cloud, was now full ripe, and ſpread,
Ready to fall, and to intomb the Dead:
Thou like that firſt Day whoſe auſpicious birth
Chas'd darkneſs and confuſion from the Earth,
Brok'ſt ope a paſſage, and the Cloud being rent,
Nought but our Exile ſuffer'd baniſhment.

3

Till then we Exiles were, and though
Our Country we did not forgo,
Our Countries limits ſerv'd to be
But bounds to our Captivitie:
Like as men cloyſter'd in ſome diſmal cave,
May there pretend Propriety to have,

Because their Prison 'tis: but ne're was't known
A man wore chains because they were his own.
By Thee with Freedom repossest, we find
The Dungeon vanisht, but the House behind.

4

Thou for this Act shalt ever live,
And thy own Monument survive,
Thy Monument which yet shall stand
Untouch't by sacrilegious hand;
Which shall maintain Dispute with aged Time
And hardly at the last submit to him;
For all Sepulchral marble will agree
And yield in this preheminence to Thee,
That none before Thee ever hence did go
